Flagellum Sectariorum,

QVI RELIGIONIS PRÆTEXTV SEDITIONES IAM IN CÆSAREM, AVT IN alios orthodoxos Principes excitare ſtudent; quærentes ineptiſſimè quidem Deóne magis, an Principibus ſit obediendum?

ACCESSIT VELITATIO IN GEORGIVM BVCHANANVM CIRCA Dialogum, quem ſcripſit de iure regni apud Scotos.

NINIANO VVINZETO RENFROO, S. THEOLOGIÆ DOCTORE ET AD ſancti IACOBI apud Scotos Ratiſponæ Abbate, Autore.

Summam ſuarum vtriuſque libelli rerum ſecundæ paginæ continent.

Quibus omnibus additus eſt in fine cuiuſque, rerum præcipuarum index copioſiſsimus.

Rogate, quæ ad pacem ſunt Jeruſalem.
PSAL. CXXI.

Cum gratia & priuilegio Cæſareæ Maieſtatis,

INGOLSTADII,
Ex Officina Typographica DAVIDIS SARTORII,
Anno M. D. LXXXII.

SVMMA.

NVLLA ratione adhibendam aurem esse iis, qui ministri vulgò vocantur; idque duplici potissimùm ratione: primùm, quòd doctrinam importent infinitis ferè erroribus atq; olim damnatis hæresibus corruptissimam: deinde quòd vocatione legitima ordinaria vel extraordinaria, potestatem regendi Ecclesias habeant omnino nullam.

CAESARI verò, vel dum impedit ne nouatorum Ecclesiæ extruantur, vel extructas statim destruit, aut quid aliud in defensionem sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ, maximè autem quod faciendum ipsi præscribit intemerata legum autoritas, perficit, protinus esse obediendum: eò quod, dum hæc facit, veris, de cuius autoritate nemo dubitat, omnium verè Christianorum Cæsarum vestigiis insistat, ac propterea rectissimè ita facere iure sit censendus.

QVAE omnia plurimis testimoniis & omni exceptione maioribus non modò ex sacris literis, primis quatuor celeberrimis post Apostolos œcumenicis Conciliis, manifesta Patrum consensione, perpetuaque Ecclesiæ fide, sed ex decretis quoq; & rescriptis summorum & pientissimorum Principum Constantini Magni, Arcadij & Honorij, Theodosij & Valentiniani, Martiani & Anastasij, ac postremò & Caroli Magni tam clarè hic patebunt, quàm quod clarissimè.

ILLVSTRISSIMO ET SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO GVILIELMO, COMITI Palatino Rheni, superioris & inferioris Bauariæ Duci, &c. NINIANVS VVINZETVS RENFROVS Theologus omnem felicitatem.

NIHIL equidem, Illustrißime Princeps, homini Christiano, qui ex diuinis didicit oraculis ea se lege natum, vt post huius vitæ excessum sempiternis opibus cumulatus, vltimo illo rerum expetendarum fine, omni seculorum æternitate perfruatur, priùs aut antiquiùs esse debet, quàm Christi Opt. Max. vestigiis insistere, & totum se ad eius imitationem effingere. Diuinitatis siquidem flagrans imitandæ studium omnem ad beatam immortalitatem perueniendi rationem continet. Id quod secum præclarißimum illud Resp. Christianæ lumen D. Augustinus perpendens, sapienter admodùm summam religionis, in eius qui colitur imitatione, positam esse statuit. Bene intellexit vir sapientißimus, quantum in hac vna re ad salutem consequendam momēti esset constitutum.

Deum imitari quàm sit homini necessarium.

Non enim ignorauit præpotentis Dei filium, eam ob causam, humanam induisse formam, vt nobis quemadmodum Deum imitari nos oporteret, ipse homo factus demonstraret. Neque ideò tantùm nostram sibi naturam copulauit, vt in ea cœlestem Patrem, à cuius religione nostræ dissidebant voluntates, mortalium sceleribus infensum nobis reconciliaret: Verumetiam vt seipsum viam nobis & exemplar proponeret, & diuinam imaginem nostris delictis deformatam instauraret. Hinc fit, vt in Euangelio ipsemet Euangelij autor ad sui nos imitationem, tam seriò tamq; frequenter inuitet. quò etiā magnis nos vocibus incitat Euangelicæ disciplinæ tuba D. Paulus,

Quare Deus homo factus.

cùm dicit, Estote imitatores Dei, sicut filij carissimi. Huc etiam pertinet illud principis Apostolorum, Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Item & illud, quod diuinissimus Iohannes ex pectore hausit Seruatoris: Qui dicit se in ipso manere, debet sicut ipse ambulauit, & ipse ambulare. Gloriatur insuper & sanctissimus ille Iob, quòd Domini sui fuerat vestigia persecutus. Caeterùm quoniam omnium, quae Christus expressa patris imago, & viuum quoddam omnium virtutum simulachrũ vel actionibus expressit, vel verbis docuit, nihil arctissimo illo pacis & concordiae vinculo frequentiùs inculcatum, aut magis nobis commendatum animaduertimus, facillimè intelligere possumus quàm obnixè nobis danda sit opera, vt pacem vnicè colamus: pacem, inquam, quam ipse Princeps pacis, salutis nostrae Vindex, & ante necem sibi illatam, & post mortem deuictam tantopere discipulis commendauit. Pacem etenim illis reliquit, pacem illis dedit. Quid quòd eandem non semel, sed saepius illis precatus fuerat? quid quòd omnia, quae liberator noster, nostrae libertatis asserendae causa gessit, siue eius à caeli vertice in terras delapsum, siue eius cum hominibus consuetudinem & conuictum, siue labores quos excepit, doctrinam quam disseminauit, solicitudines quas suscepit, dolores quos pertulit, siue denique ipsam crucem in quam sublatus fuit, spectemus, ad pacem fuerint collata? Haec etenim omnia eò spectârunt vt homines, Deo, Angelis & hominibus iucundissimae pacis foedere iungerentur, quod & tunc factum est, quando Christus pax nostra fecit vtraque vnum, &c. & omnia quae in caelis & in terra sunt, instaurauit. Christus igitur omnes eò conatus comparauit, vt dissipata colligerentur, dissoluta coniungerentur, componerentur dissidentia, vt vnicus, idemq́ suauissimus in omnibus concentus existeret. Sed quemadmodum Deus autor pacis & amator caritatis dispersos in vnũ compellere, & animos hominũ multiplici opinionũ dissensione inter se dissidentes, summa sententiarum conspiratione & mutua beneuolentia copulare semper hactenus studuit: ita Diabolus discordiarum seminator & simultatum incentor, optimè consentientes, dispergere, & omnẽ societatem piè & sanctè constitutam dirimere,

Pax Christi.

Deus pacis autor.

ab

ab initio nascentis Ecclesiæ ad hunc vsque diem remis velisq́; contendit. In qua quidem contẽtione & conatu, quantum ipse omnium sator dissidiorum hoc nostro seculo profecerit, testatur hæreseon nũc temporis grassantium multitudo, testatur multorum inter se inueteratum odium, testatur bellorum in tam multis locis tumultus, testatur denique & vehementer dolet carissima Christi sponsa Ecclesia, quam ipse sponsus sanguinis sui flumine sibi comparauit; quam iam homines impij qui ad concordiam dissoluendam & ad seditiones concitandas nati videntur, in mille partes primùm diuidere & ad nihilum tandem redigere nituntur. Vbi certè Satanæ fraudem & versutiam plurimùm mirari licet. Ipse enim mille artifex cùm perspiciat & longo rerum vsu compertum omnino habeat, duabus potissimùm rebus, sacerdotum scilicet autoritate, & principum potestate, tùm sectarum variarum licentiam impediri, tum Ecclesiæ vnitatem conseruari, nihil sibi prius faciendum esse ducit, quàm vt vtranque potestatem infringat, labefactet, euertat. Neminem puto latere, quanto impetu in letissimo suo òrgano impurissimarum libidinum patrono maximo M. Luthero, summi Pontificis & reliquorum sacerdotum autoritatem & iurisdictionem demoliri conatus fuerat: cui & propter peccata scimus datum esse robur, & stupendum in modum, prosperè successisse opus in manu impij. Magistri vestigiis institerunt, & adhuc insistunt discipuli, inter quos primas huius nequitiæ partes sibi vendicãt Sacramentarij isti, qui ex impurissimis & fœtidissimis Caluini sentinis suam disciplinã delibarunt, quibus nihil priùs in votis esse solet, quàm vt nullus in Dei Ecclesia sit ordo, nulla planè sit autoritas. Ex hoc hominum genere, ex hac scelerum cauerna, ex hac secta principibus omniũ infensissima, Deo & hominibus inuisa, quam cane peius & angue (atq; id prudenter quidem) mitiores oderunt sectæ, prodierunt, quantum coniectura colligere possum, seditiosi isti, qui seditiosam admodum quæstionem sæpissimè ore iactatam, non ita pridem literis consignatam in vulgus sparserunt, eamq́; imperitæ multitudini à cuius iudicio & opinione pendere, ad cuius normam homines eiusmodi populares, sua solent omnia dirigere, discutiendam tradiderunt.

Diaboli studium.

In vtranque Ecclesiæ potestatẽ.

Quæstionis & aduersariorum scopus.

Quæstionis autem is erat scopus, vt nouo quodam prelio & ante nostrum hoc seculum, inaudito certamine, subditi nouatorum disciplinis imbuti, seu potiùs præstigiis fascinati, orthodoxos Principes, & præsertim ipsum Cæsarem fortissimum Ecclesiæ propugnaculum inuaderent. Ecce quo tandem erupit hominum audacia; en quo deuenit temeritas: en quanta sit facta ad superbiam & arrogantiam accessio. Non satis habent homines omnium, quos terra sustinet, superbissimi, communem plebem & magnam nobilium partem sibi subiugare, nisi etiam ipsum Cæsarem sibi subiiciant, & ad errores, quibus multorum animas interimunt, amplexẽdos armis, cùm aliter nequeant, compellunt. Horum verò insolentia me commouit, ac etiam coëgit, vt hanc scribendi prouinciam susciperem.

Quid impulit autorem, vt hæc scriberet.

Putaui enim ingens scelus esse, si piis Principibus, & maximè clementissimo Cæsari, qui matrem meam suauissimam Ecclesiam sanctam, in cuius vtero conceptus, cuius sano lacte nutritus, cuius fida custodia hactenus protectus & defensus fui, strenuè propugnant, paratas & instructas ab hostibus insidias, & mihi quidem satis notas non detegerem. Vt igitur non solùm grati animi mei piis Christianæ Reip. moderatoribus quibus pestem & perniciem machinantur aduersarij, significationem darem, sed vt fidem omnibus, quos Ecclesiæ Catholicæ sinus complectitur, & toti pariter terrarum orbi in Dei gloriam testatam facerem, cùm nouis istis nouorum malorum præconibus in arenam & certamen lubens descendi.

Amplã scribendi materiã oblatam fuisse ex ministrorum vocatione.

In hoc certè conflictu vberem satis gratulandi materiam mihi oblatam fuisse perspexi; propterea quòd in eo mihi argumento versandum fuisset; in quo de ministrorum doctrina & vocatione necessariò disserendum fuerat. Ex harum enim rerum discussione, omnibus futurum intellexi, vt quotquot non essent atra errorum nocte & caligine circumfusi, facilè visuri essent, ministros nulla ratione audiendos:

Ministros dupli ci ratione nõ esse audiendos.

vel quòd à sana doctrina essent alieni, vel quòd legitima non essent vocatione præditi, quorum vtrunque (cùm alterum præstitisse, ad præsentem victoriam fuisset satis) me ostensurum nihil dubitaui. In hoc itaque libello aduersariorum fraudes, nescio quibus verborum inuolucris occultatas patefeci; vbi etiam Cæsari & aliis Catholicis

Princi-

Principibus non autem sectariis, fremant quantum velint, in negocio religionis obediendum esse, firmissimis argumentis ex diuinis literis, Cæsareis legibus, & veteris Ecclesiæ exemplis præcipuè petitis, satis clarè, nisi mea me fallat opinio, licet paucioribus quàm res tanta postularet, demonstraui.

Quoniam verò cùm has meas cogitationes scriptis mandâssem, præuidi vix fieri posse, imò ne posse quidem, quin ex tot errantium gregibus futuri essent non pauci, qui orthodoxam veritatem non mecum statim agnoscerent: quin essent insuper ex aliis valentiores iudicio, qui quamuis eam tantæ lucis radiis reuerberati non agnoscere non possent, ex inueteratæ tamen malitiæ cæcitate, viso hoc libello, stilo & lingua essent contra me debachaturi, de patrono & tutore mihi deligendo statim cogitaui; & post subductas cogitationum mearum rationes, Cels. T. (Princeps Illustrissime, pientissiméque) tutelam necessariò mihi efflagitandam indicaui. Quare supplex oro, vt hæc nostra lucubratio, quam tuo nomini consecrauimus, contra omnes inimicorum impetus, vt inuictæ veritatis clypeo armatur, ita & tuæ protectionis munimine vndique circundatus in lucem (ad multorum (faxit Deus) salutem) prodeat. Non dubito quin noster hic labor, eò tibi nomine gratior sit futurus, quòd eum habeat sibi finem propositum, vt simultates tollat, seditiones auferat, dissidia & tumultus compescat, & pacem denique ac concordiam inter omnes Christi nomen professos conciliet. Atque hoc ipsum est quod T. Cels. ardentissimis expetere votis omnes qui serenitatem animi tui, aliquo modo nouerunt, abundè testantur: in qua re immortalem tibi laudem adsciscis, patris tui pacis quondam studiosissimi ad viuum exprimis effigiem, diuinam arripis similitudinem, exq; Deo te verè natum, eiusq; te esse filium non obscurè declaras, cœlestis te regni hæredem euidenter ostendis. Faxit ipse cœlitum Imperator, qui tibi alios imperio coërcendi potestatem indulsit, vt isthæc tua nobilissima prouincia, ad cuius gubernaculum hoc tempore tam periculoso diuinitus videris esse vocatus, tuis exemplis & monitis incitata, summã in rebus ad religionem pertinentibus animorum consensionem habeat, foueat, retineat: eam dico quam ipsa

Causa tam potentem del gendi patronum.

Finis huic libello propositus.

singu-

singulari Dei beneficio, & verè magni ALBERTI *patris tui (qui propter eximium illud pacis & caritatis studium, gratissimam diuturnamq́, nihil dubito, nominis sui memoriam posteris reliquit) sedula diligentia & indefesso labore hucusq́ præ cæteris ferè cunctis Germaniæ regionibus, constanter retinuit, deinceps semper, te vero Duce parentéque patriæ, ab omni schismatum labe immunis conseruet: vt quæ nunc amplissima gloria vnà tecum circumfluit, tandem amplissimis æternæ pacis & gloriæ muneribus sempiterno tecum æuo perfruatur. Vale magnum Germaniæ decus, omnis æquitatis, pietatisq́ atque prudentiæ singulare specimen & exemplar.*

Ratisbonæ pridie Cal. Feb. 1581.

Serenissimæ Celsit. T.

idem deditiss. clientulus

NINIANVS VVINZETVS.

QVAM INEPTE QVÆRERE SOLEANT DIVERSARVM REPVGNANTIVMQVE SIBI SECTARUM miniſtri, Deóne magis obedire oporteat, an hominibus?

SOLENT hodie vbique ſeditionum architecti, ſectarum & errorum miniſtri, quo ſuæ impietati, & non ferendę audacię, velum aliquod obtendant, quærere: Deóne magis an Principibus obedire oporteat? Quaſi verò ea res apud vllos Chriſti fideles in dubium vocaretur: aut ſine piaculo vnquam dubitari poſset, meliusúe eſſet ſperare in Deo, quàm in hominibus? Quid, quòd ne Iudæus quidẽ, qui ex lege didicit Deum ſuper omnia diligendũ, quantumuis obtuſa mentis acie in legem perſpicit, ignoret vni Deo magis, quàm omnibus & hominibus & angelis obediendũ eſſe? Multò igitur magis Chriſtianus Catholicus, qui eandem quidem legem atq; eam à Dei filio diſertiſsimè explicatam accepit, non modò parentes, fratres, & amicos, ſed & Reges, ac potentiſsimos quoſq; orbis Principes ipſi Deo, ſi in ſacroſanctam illius legem, vel minimum quid committere iubeant, immenſo interuallo poſtponere ſe debere ingenuè fatebitur. Nequaquã enim obliuioni facilè tradit illud: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere &c.

Studium eorum qui diſcordias ſeminant.

Nulla gens tam barbara, aut quę Deum eſſe aliquem, aut illum cæteris omnibus anteferendum ignoret.

Matth. 10. c.

Quid igitur volunt ineptiſsimi iſti homunciones, immemores prorſus ſui, atq; adeò humanæ naturæ (quæ quantumuis peccato vel parentum vel ſuo deprauata, hoc dogma inſculptum habet) dum in quæſtionem vertunt, vt rem problematicam (de qua hoc vel illud impunè tueri liceret) ſitnè obediendum Deo magis an hominibus? Sed quid de Iudæo aut Chriſtiano, qui de diligendo Deo legem accepêre, loquor? cùm ne Ethnici quidem Philoſophi neſcierint, nullam eſſe gentem tam barbaram aut feram, quæ non aliquod numen eſſe credat, quod procul dubio, qualecunq; id eſſe putat, omni humanæ creaturæ, excellentiæ eius ac autoritati anteponendum eſſe meritò iudicet. Atq; ideo cùm eandem quæſtionem ante ſæpiſsimè in noſtra Britannia primùm, in Gallia quoq; deinceps, poſteà quoq; in Belgia, ab impuriſsimis Zuinglianis, at-

Quid mouerit autorem vt hæc ſcriberet.

que

Caluinistæ grauissimi hostes omni legitimæ autoritati.

que Caluinistis (coniuratis iisdem & teterrimis omni legitimæ autoritati hostibus) in eruditi populi, fluctuantisq; plebeculę auribus, ad rauim vsq; atq; nauseam, in derogationem Principum autoritatis inculcatam, in his nunc postremò regionibus scriptam in vulgus clanculum disseminari intellexissem, non potui committere quin paucis, non quæstionem ipsam, quæ apud verè christianos nulla explicatione eget, cùm sit principium quoddam communissimum sanctissimæ nostræ religionis, Deum magis quàm omnes creaturas audiendum esse, sed mentem aut veriùs amentiã, & non ferendam superbiam istorum hominum (si tamẽ homines dici possent, qui omnibus industriæ neruis in interitum hominum tot bellorum tumultibus, tantoque fuso christiano sanguine incumbere videntur) rudi Minerua depingerem, aut extremis potius lineamentis adumbrarem. Viuis enim verisq; coloribus istos exprimere, cùm sint omni Protheo mutabiliores, vt est difficillimum, ita hoc loco minimè necessarium. Nam satis nunc esse opinor, ex ipsis vnguibus non tantùm ex rugitu, istorum leonum sæuitiam indicare. Quàm verò rapacibus vnguibus sint armati, testatur vtraq; vbiq; in iis regionibus, in quibus pedem quoquo modo fixêre, potestas, Ecclesiastica nimirũ & politica: E quibus vt illam quasi altero pede ibidem penitus conculcauêre, ita & hanc, si non sua censoria virgula, aut sceptro potiùs tyrannico in ordinem redegêre, horrendis certè cladibus concutientes, miserandum in modum tantùm non sibi cedere coegerunt. Occupata igitur apud suos miserè seductos discipulos hierarchicæ seu sacerdotalis dignitatis arce, terribili rugitu, quasi buccinæ clangore, politicum magistratum, Principes, Reges, atq; adeò ipsum Cæsarem adoriũtur, intonantes; Deóne magis an Cæsari obediendum sit? Terribilis ista videbitur quibusdam vox atq; valida: sed iis duntaxat profectò, qui in fide parum valent. Eiusmodi enim non rugitus sed balatus ineptissimorum sibi Dei autoritatem temerè & impiè vendicantium, de quorundam infirmitatibus habent, quod valent, (vt prudenter notat antiquissimus & grauissimus quidam pater, (de hæreseôn viribus loquens) nihil valentes si in beneualẽtem fidem incurrant. Sed ne pluribus agamus in re facili quàm oporteat: audiamus ipsas belluas, sua verba (vt eruditus quidam vir è sermone germanico nobis latina fecit) in hunc modum resonantes:

Ecclesiastica autoritate pessundata, aggrediuntur deinde ciuilem.

Inualidi videntur robusti, cùm in hostem parũ valẽtem incidũt.

Tertul. de præscript. aduersùs hæret.

Vtrum subditi, inquiunt; *debeant suo Principi obedientiam præstare, quando*

quando quicquam contra mandatum Dei præcipit? Et vt planiùs intelligas, quo suum dirigunt arcum, addunt: *hoc est*, aiunt, *vtrum Deo, an Cæsari in rebus fidei & religionis magis obediendum sit?* Responsio hic vtrobiq; adeò facilis & omnibus obuia est, vt à nemine, qui ipsius naturæ beneficiis decoratus est, vt ex iis, quæ suprà breuiter diximus, emergit, ignorari possit: nulli nimirum creaturæ contra Deũ quicquam ingerenti obediendum esse: imò ne obedire quidem vlli hominum oportere, in iis, quæ lex naturæ fieri vetat. in his enim locum habet & illud, obedire oportet magis Deo quàm hominibus. Nam Deus, qui naturæ, sicut & suæ legis vel literis consignatæ, vel aliter traditæ autor est, potestaten dat Principibus, non in destructionem suæ siue legis, siue populi, sed in ædificationem. De hac re pulcherrimum nobis se nunc offert exemplum, cuius meminêre & DD. Ambrosius & Augustinus. Nam cùm apostata ille Iulianus, Christianis, qui sub se militabant, diceret: Producite aciem in defensionem Reipub. incunctanter obediebant. At verò cùm diceret: Producite arma in Christianos; cognoscebant, vt scribit Ambrosius, Imperatorem cœli. Verùm nunc cùm non regnet apostata Iulianus, sed pientissimus Rudolphus, Princeps christiani nominis, dignitatis, atq; pacis studiosissimus: quorsum, quæso, inter tot sectarum & dissentionum turbas ab vllo pacifico viro ista agitaretur quæstio? *Non ad excitandos* (scribunt autores) *vllos in populo tumultus.* Non? Aduertite miram hominum impudẽtiam. Ii simul atq; quæstionem ponunt, continuò se vident à seditionis crimine non posse ab vllo prudente & candido lectore absolui: imperitæ tamen multitudini atq; aliis anticipata opinione seductis, quos in rebellionis laqueum contra Principes pertrahere student, nequaquam seditionis autores, sed strenui tantùm diuinæ gloriæ scilicet propugnatores videri volunt, tam meretricea frons tantaq; arrogantia est istis perditissimis hominibus, vt quicquid ipsi delirant, somniant, fingunt, calumniantur, & mentiuntur, id statim vt Dei verbum miserrimo popello venditent. Neque hoc satis ad suum fastum esse putant, nisi sacrosanctum, & ineffabile Dei nomen in sui idoli (erroris inquam & sectæ) patrocinium substituant. Nam nihil aliud dicere, laborant, si simpliciter loqui vellent, vt infrà fusiùs dicemus, quàm, nostrę né sectę & conceptæ iam de fide opinioni, an Cæsari obediendum est? hoc cùm videt à quouis facilè posse intelligi, vt parum exercitati Rhetores,

Potestas à Deo datur in ædificationem.

Ambros.

Nisi voluisset Cæsari obesse, nequaquam hãc quæstionem vẽtilassent.

Abutuntur aduersarij Dei nomine illud pro suo constituẽtes.

præmatura & inepta occupatione ſeſe expurgari cupiũt, cùm poſitæ quæſtioni hæc ſtatim ſubiiciunt. *Videtur quidem*, inquiunt, *quaſi non eſſet neceſſe, præſentem quæſtionem tractare*, Et rectè profectò videtur, *ſiquidem expreſſum verbum Dei habemus, Act. 5. Deo nos magis obedire oportere quàm hominibus* (qua de re nemo dubitat. Audite igitur eruditam correctionem, & inſtam ſcilicet, ipſam tamen tractandi cauſam: quia nimirum hac doctrina offenditur fidelis populus, quem ipſi ſceleratum dicunt) *Attamen mundus hic improbus & ſceleratus* (audis Crocodili lachrymas?) *ita eſt affectus, vt cùm doctrinæ huius mentio fit, ſtatim anſam arripiat calumniandi* (nequaquam: ſed demonſtrãdi væſanam veſtram & impiam in pios Principes dominandi libidinem) *quaſi homines hac doctrina contra legitimum magiſtratum & poteſtatem à Deo conſtitutam, turbandam & euertendam incitentur* (ita omnino eſt, niſi veſtros errores & manifeſta idola, atq; adeò plenum imperium, velit nolit ſiue Cęſar, ſiue Deus ipſe, ſequantur & adorent) *operæpretium eſt, vt in hac quæſtione verus inueſtigetur ſcopus & intentio* (& ea quidem eſt: vt iſti homines cum ſua ſola ſecta, quæcunq; tandem illa ſit, iudicentur ſoli de diuinis & humanis rebus rectè ſentire, rectéq; ſententiam ferre, atq; ideo ius cæteris omnibus mortalibus rectè dicere) *vt limites æquitatis non tranſiliantur: ne minùs neue nimium agatur* (O æquiſsimos rerum moderatores) *neq; ſub libertate Euãgelica pacis turbatores & manifeſtos hoſtes Reip. neq; rurſus ſub obedientia erga magiſtratum, inobedientiam contra Deum quæramus* (obſeruate diuinarum humanarumq; legũ cenſores & arbitros) *ſed chriſtianè & modeſtè* (quin potius iudaicè & ſeditioſiſsimè) *ſecundùm doctrinam Chriſti, Matth. 22. dentur Deo, quæ Dei ſunt: Et Cæſari quæ ſunt Cæſaris* (id eſt, neque hoc, neque illud: ſed illud ſolum, quod huius ſectæ miniſtri ex ſuo ipſorum cerebro, Cæſari aut Deo dandum eſſe præſcribunt.

Inepta expurgatio.

Quis obſecro tam parum emunctæ naris eſt, qui ex iſtorum verbis non ſtatim ſubolfaciat, non Deum, ſed Sacramentariorum aut nouorum Manichæorum (Nam horum alteri præ aliis videntur huius fabulę autores) aut alicuius ſaltem ſectę miniſtros, ipſius æterni Dei nomine prætexto (ô ingentem confidentiam) Cæſari ſimul & omnibus chriſtianis Principibus, quicunq; ſint illi, qui iſtorum idolum, cum ipſis non colunt, in hac quæſtione opponi? atque hunc tandem ſenſum eſſe: Vtrum ſubditi debeant Cæſari aut aliis Principibus obedire, quando hi quicquam aduersùs ea,

Mentem miniſtrorum in hac quæſtione eſſe, vt ſeipſos Dei loco conſtituant.

quæ

quæ præscribunt huius sectæ ministri, statuunt aut edicunt? Non enim obscurum est hos ministros, se solos, non modò aduersùs Cæsarem & Principes, vniuersamq; Dei Catholicam Ecclesiam, sed aduersùs quascunq; alias sectas, à partibus Dei stare, hoc loco asserere, audere? Nam ad obedientiã, quæ Deo debetur, fatentur primo quidem suæ explicationis verbo, vti iam commemoratum est, minimè esse necesse quæstionem mouere: & rectè quidem, vti ex ipsa, quam citant, autoritate patet. Cõfirmatur quoq; id ipsum cùm aliis multis scripturæ locis, tum aurea illa vnius constantissimorum septem fratrum apud Hebręos inter ipsos dirissimos cruciatus sententia. Non Regi, inquit, sed legi, quæ per Moysen data est, obedio. 2. Mach 7.

Cæterum si sincerè absq; tortuosa antiqui serpentis calliditate rem pertrectare voluissent, sese hoc modo procul dubio explicâssent: cùm constat in sancta Ecclesia Catholica, duplicem autoritatem à Deo ipso institutam esse, Ecclesiasticam & politicam, seu secularem: præterea & penes nos solos esse Ecclesiasticam potestatem, sicuti & penes Cæsarem, Reges, atque alios Christianos Principes esse politicam: vtrum in negocio fidei & religionis, obedire debeant subditi nobis, an Cęsari &c. his profectò verbis christianè, id est, simpliciter & sincerè fuissent locuti. Sed quoniam animaduerterunt se improbissimi homines nunquam illud, quod inprimis debebant docere, quodq; omnibus persuasissimũ esse stolidissimè cupiunt, probare posse: se nimirum esse legitima illa, quæ ordinaria dicitur, ordinatione Apostolorum successores, aut aliàs à Deo extraordinariè (vt ipsi somniant) ad Ecclesiæ ministerium vocatos esse, atq; ita demum Ecclesiasticam autoritatẽ planè obtinuisse (verùm maioréne astu, an temeritate nescias & audacia) sceleratissimè suæ sectæ loco, tremendum illud diuinæ maiestatis nomen arrogantissimè supponunt: Quærentes Deóne magis &c. pro eo, quod dicere debebant, & ab omnibus intelligi expetebant: Nobísne magis an Cæsari in negocio fidei & religionis obediendum est? Deinde & addidissent, cuius tandem conciliabuli Ministri essent, cùm tot contrariæ sectæ, acerbiores indies inimicitias inter se gerentes, huius verbi fulmine cæteris omnibus mortalibus terrorem incutere laborent. Simplex quæstionis sensus.

Nunc verò, cùm non sit obscurum, in quem scopum tendant isti suum arcum, reliquum est, vt animum non oscitanter aduerta-

mus, qua arte sagittas suas, quas parauerunt in obscuro, in simplices & rectos corde iaciant. Det fons ipse & autor omnis boni, per nos licet indignos tempori fugiant pii omnes à facie arcus illorum, atq; illud vt faciliùs, maioreq; cum emolumento fiat, non grauabor summatim, & quasi in vnam simul pharetram, istorum iacula colligere, paucisque indicare, quænam ex illis infecto acumine sint venenata; quænam ad hoc bellum quod instituunt hostes, incepta; quænam tandem ludicra & oblectandi causa, vt ad se alliciant, quasi spectatores siue viribus contorta. His tamen omnibus quasi vnum communem scopum præfixum scias: atq; eum talem esse, vt Christiani Principes ad vnũ omnes, etiam ipsa Cæsarea Maiestas in terram procidant, & adorent quasi vitulos in Bethel & Dan huius sectæ idola, teterrimos nuper inquam ab inferis reuocatos, contra Orthodoxam & Catholicam religionem errores & antiquatas hæreses; aut sustineant atrocem certè subditorum rebellionem. Neq; existiment se velim in hoc bello satis periculoso, nisi temporiùs resistatur, aliarum sectarum Principes fore magis, quàm Catholicos securos. Nam fingamus seditiosam quęstionem istã, ab Oppicianis siue Neomanichæis in vulgus emissam esse, aut à Sacramentariis (quorum rebellio in suos Principes omniũ maximè famosa est & deformis) non magis ab istorũ spiculis tuti sunt Euangelicorum & aliorum sectariorũ, quàm Catholicæ & orthodoxæ Ecclesiæ Principes: cùm illa tanquam impudẽtissima aliqua meretrix magno fastu affirmabit sibi vni suffragari verbum Dei, cæteros verò mortales omnes, vel tetris erroribus immersos, vel horrendos esse idololatras.

Qualia sunt aduersarij iacula.

In quam finem parata.

In omnes Principes Catholicos & alios, nisi forsan sint illius sectæ, bellum mouent.

Primùm igitur aduersarij iaculum, quoniam non in hostem, sed in aëra mittitur, securus vtraq; manu recipias, licebit. *Confitemur quidem*, ait, *Christiana nostra fide, id docente nos sacra pagina, quoniam Deus cœlum & terram creauit, is propriè sit dominus, tum cœli tum terræ; qui verò in terris ius dominij alicuius acquirit, & aliis regendis & gubernandis præficitur, is Dei solum est minister, vasallus & commissarius: & quò longius eius ditio se extendit, eò maiorem gratiarum actionem suo debet ordinario, seu vero domino. & si quid contra mandatum illius agit, erit eò difficilior & periculosior ratio reddenda, nihilq; aliud supererit, quàm vt expectet tempus, quo dominus eius commissam potestatem ipsi auferat & alij tradat.* Et verè quidem hæc omnia; quę & rectè probat ex 6. cap. libri Sapientiæ. Vbi seuerè interminatur Dei sapientia Regibus &

aliis Principibus: Quoniã, inquit, cùm essetis ministri Regni illius, non rectè iudicâstis, nec custodistis legem iustitiæ, neq; secundùm voluntatem Dei ambulâstis. Horrendum, & citò apparebit vobis: quoniam iudicium durissimum in iis, qui præsunt, fiet. Sic ex Daniele 2.c. Prouer. 8. & Iob. 12. rectè quidem probat per Deum Reges cõstitui, perq; eum regere illos debere & ius populo dicere. *Vbi verò hoc non fit*, ait, *fiet illud, quod scriptum est: Dissoluo regum baltheum, & præcingo fune renes eorum.* Vnde colligit non malè licet animo pessimo, in hunc modum; *Ex quo solo patet, quòd neque Principes, neque Reges, neque Imperatores, imò neque potentissimi quique* (quasi verò essent vlli alij, nisi istorum forsan arte, his potentiores) *quicquam contra mandatum diuinum, vel verbum Dei præcipere & mandare debent: alioqui Deus deponet illos, dissoluetq́; baltheum eorum, hoc est, subditos à baltheo magistratuũ, vt Deo tanquam Regi Regum, magis quàm administris obtẽperent.* Quæ omnia ita in thesi posita verissima quidem sunt: sed de hypothesi, ad quã dirigit hic autor suas sagittas, iterũ atq; iterum, ne in Deum ipsum, non solum in illius ministros, Reges, Cæsarem & alios Principes temeritate multa, & non minore impietate insurgamus, cogitandum est; ne in Dei verbum, sacrosanctamq; verorum Christianorum religionem, vbiq; semper & ab omnibus creditam rebelles simus & contumeliosi: néue postremò, nomine opinioneq; reformandorum abusuũ, & instaurandæ veræ religionis alicubi collapsæ, veram religionem, illam inquam orthodoxã, & Catholicam, quam magna illa post discipulos Ecclesiæ lumina, bases & athlantes Martyres & alij Doctores suis quasi humeris & contra Tyrannorum & Hæreticorum furores sustentauerant, vno ore prædicârant, ad nudum & inane nomen pertrahamus. Cauendum.

Ad subdolam igitur istam insinuationem, qua studet clanculum aduersarius bonos Principes, ipsius perfidiæ resistentes in odium subditorum adducere, respondemus breuiter, non solum propter peccata malos Principes à Deo castigari, humiliari, & suis soliis deiici; sed & bonos honorari, ad maiora efferri, & multò clariores effici. Constat enim ex sacris literis, & apud omnes orthodoxos fixa stat sententia, æquissimũ iudicem esse Deum; proinde & illum omne bonum & pias hominum actiones, tametsi à se solo primùm promanãtes, suo præmio propter humani arbitrij libertatem, qua spontè homo cum ipso operatur, nequaquam defraudare: ita omne malum, propter eiusdem libertatis abusum, Vt mali Principes à Deo castigari, ita boni honorari solent.

æqua

æqua quidē lance, veroq; iudicio eundem vel temporali vel æterna pœna, si homo se non iudicet & humiliet, castigare. Porrò quoniam Principum lapsus, vel propter status dignitatem & ingratitudinem: vel propter scientiam rerum, qua populum antecedunt, aut saltem antecedere ex officio debent; vel propter scandalum, quo Dei populum offendunt, & in ruinam trahūt: aut propter neglectā sui muneris functionem; aut propter alias forsan rationes meritò grauiores habētur, ideo acerbiores iure pœnas merentur: iuxta illud, Potentes potenter tormenta patientur. At nulla alia in re grauiùs peccant Principes, quàm cùm vel ipsi à vera religione declinant, vel cùm eam à Pseudoprophetis atq; errorum ministris sua ignauia corrumpi & deprauari permittūt. Hoc postremo modo peccauerat inter alios nonnullos Asa rex Iuda, qui ob plurima rectè facta plurimis laudibus sit cumulatus; quòd nimirū effœminatos abstulerit de terra, purgaueritq; vniuersas sordes idolorum, quę fecerant patres eius: quodq; Maacham matrē suam amouerit, ne esset Princeps in sacris Priapi, subuerterit specū eius, atq; confractum simulachrum eiusdem turpissimum combusserit in torrente Cedron: & quod postremò fecerit rectum in conspectu Domini corq; perfectum habuerit ipse cum domino cunctis diebus suis. Quid igitur obstitit, quo minus pius Asa, cum sāctis illis Regibus, Dauide, Ezechia, & Iosia, plenam integræ religionis laudem sit assecutus? De his solis sic scribitur. Præter Dauid, Ezechiam & Iosiam, omnes peccatum commiserunt. Nam reliquerunt legem altissimi Reges Iuda, & cōtempserunt timorē Dei. Itáne? at quid commeruit Asa? cuius cor perfectum fuisse traditur coram Domino cunctis diebus suis, vt ab hoc sancto cœtu fuerit exceptus? Nihil profectò aliud commisisse legitur, quàm quòd excelsa non abstulerit quàm quòd indulgētia aut supina potius negligentia & ignauia non cohibuerit errantem populum gladio sibi commisso: ne illicitè sacra, licet per se licita & à Deo fieri suo loco præcepta, faceret in excelsis. Nam vt alio loco scribitur, subuertit idē Asa altaria peregrini cultus (falsorum nimirum Deorum) & excelsa (pariter illorum) confregit: deniq; statuas, lucosq; succidit. Sed quoniam extra Ierusalem sacrificia Deo immolare, tunc non licuit, vitio magno vertitur Regi alioqui pio, quòd illud quasi horrendum schisma ab vnitate Dei Ecclesiæ permiserit. Quod vitium prǽterquam aliis etiam Regibus alioqui nequaquam impiis (cuius-

modi

Marginal notes: Principum lapsus quare grauiùs puniri à Deo solet. — Grauissimum quod solet esse in principibus delictum. — 3. Reg. 15. b. t. — Eccle. 49. a. — 2. Paral. 14.

modi non pauci erant Reges, Iuda, vt Iosaphat, Osias, Ioathan, ad istud malum alicuius boni causa, vt existimabant, cõniuentes) ipsi Ioæ Regi apertius his verbis asignatur: fecitque Ioas, habet sacra pagina, rectũ coram Domino, cunctis diebus, quibus docuit eum Ioiadas sacerdos: Veruntamen excelsa non abstulit. adhuc enim populus immolabat & adolebat in excelsis incensum. Excelsa, ne erret lector, duplicia fuisse constat. Nam alia erant, in quibus immolabatur idolis siue dæmonibus; alia autem celebriora, maximè ea loca, in quibus priùs offerri Deo solebat, quàm constitueretur arca Domini in Ierusalem: in quibus tunc diuina lege cautum erat, ne Deo quidem alio loco offeretur, quàm in sola sancta ciuitate Ierusalem Typo, sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, extra quam, nulla sacra, nullæ preces fiunt Deo acceptæ. Vides ex ipsius Asa negligentia, quàm atrox scelus sit coram Deo, non solùm in sanctam religionem quicquam committere, sed & circa eius defensionem ignauia vlla delinquere.

4. Reg. 12. a.

Excelsa in veteri populo duplicia.

Deut. 12. a. b.
3. Reg. 11. f.

Sed nunc ad Reges planè impios, schismatum imò errorum, idolorumque patronos maximos, tametsi simul Deum verum se colere profiterentur, nostra se recipit oratio. Eiusmodi ante alios erat impius Ieroboamus, qui derelicta sancta vrbe, typo sanctæ Ecclesiæ Catholicę (quod sæpius repetere nihil piget) Hierosolyma, sacrisque ibidem solum, à Deo fieri pręceptis, horrendo schismate diuisit regnum Dauid (per quod, regnum Christi spiritale pariter præfiguratum fuit) secumque decem tribus à Deo vero ad vitulos aureos, aliosque illicitos cultus excelsorum pertraxit, sibi ex nouissimis & plebis fece effecit, qui istis nouis suis diis ministrârent, sacerdotes; quique eos, qui istorum cultum sua doctrina & ministerio propagârunt, fouit, protexit, inque libertatem pessimam, in Deum vtique ipsum, inque ipsius sacra mentiendi asseruit. Ieroboami impietatem, hac saltem parte tuendi regni causa, imitati sunt cęteri ad vnum omnes ipsius Israëlis, Samariæ, siue decem Tribuum Reges: Eliam, Elizeum, cæterosq; Dei Prophetas odio & gladio nonnunquam persequentes: Sacerdotes verò excelsorum, cæterosque à se factos, atque alios Pseudoprophetas liberaliter fouêre, patrocinioque suo muniuêre. Sed quid ad ista vltionum Dominus? Liberrimè quidem & ipse egit, reddens vtiq; semper suo tempore retributionem superbis. Nam quamuis admirandæ patientiæ, longanimitatisq; sit Dominus, sanctam suam

Reges schismatici & idololatræ.
Ieroboamus.

3. Reg. 11. e.

3. Reg 12. g.

Reliqui omnes Reges Israël. Numero 17. imitati sunt Ieroboã.

Psal. 93. a.

religionem, quam per manum Mosi dederat, nouis illorum tetrisque erroribus, & idolomania contaminari diu, sine accepta seuera vindicta, non est passus. Nam præter externis gentibus gladium sæpius immissum, crebram quoque famem atque pestem, nulli omnino omnium, ex his schismaticis erroneisque Regibus,

Euseb. in Chronic.

(qui spacio 250. annorum, numero erant 18.) concessum est, vt nepotes in regnum succederēt, præterquam ipsi Achab, cui propter seriam pœnitentiam, quam spontè semel subierat, prorogata vin-

3. Reg. 21. g.

dicta est, in dies Ioram eius filij nepotis Regis Amri: nec non & ipsi Iehu, qui præmij loco, ob seueram sed iustam vltionem, quam de domo sceleratissima Achab Regis, deque sacerdotibus Baal acceperat, à Domino meritus est, vt ipsius posteri in quartam generationem super eius solium sederent. Neq; inutile fore puto, si

4. Reg. 10. f.

cruentas istorum clades, paucis lineamentis, ante oculos lectori statuero. Inde etenim perspicere licebit imaginem istius poli-

Imago regni q̃d secum moliuntur aduersarij, cruentū & schismaticum regnū Israël erat. Ex seruorum rebellione ortum & propagatum.

tiæ, quam Sacramentarij cū aduersario (si sit alius alicuius sectæ) in Christianum orbem inuehere moliuntur. Non enim aliunde tota ferè teterrima ista nouorum Regum progenies erupit, quàm ex fastu & rebellione seruorum & subditorum in suos Principes & dominos: neq; tanta tanti populi fascinatio, cæcitas, & tandem idololatria, aliunde exorta est, quàm ex communi illo morbo quorundam hominum, cuiusmodi nunc gregatim non vno loco consurgunt, qui minimè contenti suorum Principum regimine, his annis dici vulgo cœpêre Malcontenti; qui cum hæreticis syncretismo quodam planè impio, vel propter tuenda fluxa seculi bona, vel propter, nescio quam, vindicandam libertatem, in suos primùm Principes, deindè & in Catholicam religionem, quasi cum Ieroboamo conspirant. Hi, licet initio neque sanctam nostram religionem, neque Principem fortasis de industria offendere statuunt, per ciuilem tamen societatem, quam cum impiis alia atque alia ratione, sed impiè semper & imprudenter contrahunt, inducuntur posteà plurimi non in vna aut altera regione, sed in multis, quod vehementer dolendum est, vt in eo sibi placeant tandem, quod sectæ, cui se commiscent, minimè displicet. A quo genere hominum quid aliud, quæso, expectandum est, si veteris hîc Ecclesiæ figuras, & rerum deinde futurarum typos, quod æquum est, inspiciamus; quàm vt, sicut ipsi primùm sponte sua euadunt schismatici, fiant deinde & hæretici, postremò & Ieroboa-

roboa-

roboamitæ; veræ inquam omnis religionis propter terrenum regnum contemptores, & vt filij Caini mundi huius cultores deuotissimi.

Quod nescio, si vspiam aliâs, ex vlla quàm ex hac historia defectionis 10. tribuum clariùs apparet. Nam simulatque Ieroboamus, seruus Salomonis, aduersùs Dominum suum rebellionem concitâsset, atque regnum imperiumq; deinde in decem tribus, quæ ob grauia onera sibi à Salomone imposita, deindeque à Roboamo imperiosiùs repetita pessimè erant contentæ, sibi stabile fecisset, rebellionem continuò in Principem subsecuta est rebellio in Deum, in sanctam nimirum ciuitatem Ierusalem, atque in auitam & veram religionem.

Quòd verò quidam his annis, & in Belgia nominatim, postea quàm sint hoc errore grauiter seducti, à tanto malorum baratro sese maturè receperint, atq; se sincerè receptos pòst virtute multa ostenderint; ego singulari Dei beneficio in acceptis referendum esse sentio: nec tàm subitam tamque salutarem è tantis tenebris exitum pro exemplo ad similes lapsus ventilandum, sed argumentum esse potius non obscurum, quòd benignissimus Deus singulari quadam beneuolentia illam patriam prosequatur: Patriam, in qua non ita pridem, omnis sacræ doctrinæ, omniumque virtutum domicilium fuisse, omnis veræ sinceræque religionis ac pietatis & flores & fructus exuberâsse constat: & in qua esse adhuc, sicut & solidæ eruditionis plurimos, ita & qui à maiorum suorum virtute & religione nequaquam degenerârunt, minimè dubitamus. Auertat omnipotens ipse Deus, ne hac similitudine prouocati vlli sint, tam suæ salutis negligẽtes, aut tanta confidentia erecti, vt volitent in tam profundam malorum abyssum, & sese dementes præcipitent. Etenim, si ex iis, quæ in figura contigerunt illis, & ad doctrinam nostram scripta sunt, solidum argumẽtum desumere liceat (vt licet quidem maximè) si ex tam innumera hominum multitudine, ne vnus quidem ex cunctis 10. illis tribubus, præter prophetas quosdam paucos numero, legitur, aliquando durante regno Israëlitico in defensionem diuinæ legis impietati Ieroboami sese obiecisse, aut aliquando negâsse palam se abominandis illius decretis morem gerere (licet non pauci vt Tobias & alij piè interim latuerint) quid polliceri poterimus nobis de iis, quos illi præfigurabant, schismaticos simul & hæreticos? quid

Zambri verò tyrannus, septem duntaxat diebus regnans audiensque ab omni Israële in Regem protinus principem tunc militiæ Amri electum fuisse, vrbemque Thersa, in qua tunc sedebat, obsidione oppugnandam, ingressus regium palatium, illudque & se igne succendens in peccatis suis mortuus est. Ibidem d. VII.

Amri autem per vias Ieroboami incedens, cæteros omnes, qui eum præcesserant, nequitia longè superauit. Is moriens Achab filium regni successorem reliquit. Ibidem f.

Achab & patre & cęteris omnibus, qui ante eum fuêre, longè nequior, duxit Iezabel Sidoniam quidem & impietate insignem mulierem, vxorem: Erexit altare Baal, cui & seruiuit: lucum plantauit, atque alia pleraque lege vetita patrare nihil est veritus. Hîc vsque adeò væsania sua sibi placuit, vt suo tempore inuenti fuerint Prophetæ Baal, 450. Prophetæq; lucorum 400. qui viuebant de mensa Iezabel. Quos omnes solus Elias, magna in Deum fiducia animatus coarguens, erroris idololatrięque conuincens, à populo trucidari curauit. In cumulum ipsi Achab criminum accessit, quòd præclara victoria semel, atq; iterum aduersùs Siros blasphemantes Deum Israël, esse Deum montiũ, non autem vallium, peculiari Dei beneficio ornatus, parcendo illorum Regi Benedad, inobediens tanti muneris largitori extiterit. Postremò quòd simulata iustitia, Naboth iniustissimè occidi, & negatam sibi eius vineam possideri curauit. Quibus de causis cùm meritus sit per Prophetam ex ore Dei inter alia audire: Dabo domum tuam, sicut domum Ieroboam filij Nabat, & sicut domum Baasa, filij Achia, quia fecisti, vt me ad iracundiam prouocares, & peccare fecisti Israël; scissis vestimentis, opertaque cilicio carne sua ieiunauit, dormiuitque in sacco atque ambulauit demisso capite: donec rursus sentire meruit, quanta sit veræ pœnitentiæ vis: Nónne vidisti, ait Dominus ad Eliam, humilitatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam mala in diebus eius: sed in diebus filij sui inferam malum domui eius. Postremò, iuxta vaticinium Michææ Prophetæ, contradicentibus ipsi quadringentis Pseudoprophetis, à Siris in bello, quod aduersùs eos instituit, licet mutato habitu, ne agnosceretur, sagitta in incertum à quodam missa, interfectus est. VIII. Ibidem g. 3.Reg 18. g. Ibidem 20. e. 3.Reg. 21. g. Ibidem 22. e.

Post hunc regnauit filius eius, Ochozias, qui pleno cursu patris impiæq; matris atque Ieroboami vestigia insequens, per can- Ibidem f. IX.

cellos cænaculi sui decidit, vnde in grauem infirmitatem lapsus, addit ipse suum errorem prius in Israële inauditum. Nam misit nuncios ad consulendum Beelzebub Deum Accaron, num de infirmitate illa conualescere posset? Sed nunciis, monente Elia Propheta, ad Regem redeuntibus, & illius ore mortem instare prædicentibus, missus est ad Eliam princeps quinquagenarius, militibus quinquaginta stipatus; vt si fortè Propheta ad Regem descendere spontè noluisset, vi pertraheretur. Sed enim cùm hic ad Prophetæ preces, igne cælitus misso, cum suis 50. absumptus esset, missus est alter quinquagenarius cum totidem militibus, eodem animo: qui & eâdem vltione simul omnes plexi sunt. Tertiò deniq; quinquagenario simplici suppliciq; animo accedente, Elias, monente Dei Angelo, ad Regem ipse audacter accedens, tale attulit nuncium: Hęc dicit Dominus, ait ille, quia misisti nuncios ad consulendum Beelzebub Deum Accaron, quasi non esset Deus in Israël, à quo posses interrogare sermonem; ideo de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.

4. Reg. 1. a.

Quare quinquagenarius vnus & alter cũ suis militibus orãte Elia percussus est.

Ibidem d. x.

Mortuo itaque Ochozia, imperauit Israël Ioram frater eius pro eo. Hic, quoniam nonnihil resipuit à parentum insipientia: abstulit enim statuas Baal, quas suus fecerat pater, obtinuit regnũ per annos 12. non adeò irrequietum, quin & victorias, primùm iunctus ipsi Iosaphat Regi Iuda, contra Moabitas; deinde & propugnando suam Samariam contra Siros, cùm ibidem adesset Eliseus, satis claras, Deo miserescente sui Israëlis obtinuit. Verùm pro eo, quòd non recessisset à peccatis Ieroboami, nec credidisset Dei Prophetæ, sed magis illi mortem intentâsset: à Iehu in Regem, præcipiente Eliseo Propheta, inuncto percussus est, eiusque cadauer in agrum Naboth, non sine fæda ignominia proiectum est: vti & Iezabel, cuius impio suasu in multis subnixus erat, in mortem è fenestra suæ domus præcipitata, à canibus deuorata est. Ex historia igitur Ioram hoc tempore nobis maximè obseruandum se offert, quòd non sit satis vero Christiano destruere statuas Baal, & excidere lucos, hoc est, (vt ego arbitror, me non malè pro præsenti statu Christianorũ interpretari) reiicere & abominari idola & errores Anabaptistarum, Sacramentariorum, quos vocant, aut Manichæorum, & tetriorum aliorum sectariorũ, Marcionitarum putà Semiarrianorum atque Antitrinitariorum & similium, nisi etiam vitulos euertat aureos noui Ieroboami, qui horrendum in

4. Reg. 9. c. f.

Non satis est recedere ab vna hęresi nisi & abvniuersis.

modum

modum, regnum filij Dauid, Ecclesiam Christi inquam, in septentrione, nostro seculo, propter peccata diuidere, & regnum Antichristó parare est permissus. Qui à sancta ciuitate Ierusalem decem tribus ad Bethel & Dan; hoc est, à communione sanctę Ecclesiæ Catholicæ, innumeras gentes ad schismata & hæreses pertrahere iam cœpit. Qui primus denique mortalium, nisi fallor, contra altare Dei & sacerdotium Christi, in noua Ierusalem, in altaris omnis despectum communem profanamq; mensam à laicis conficiendam, administrandamque instituit. Nam etsi grauissimus autor Tertullianus, ante annos ferè 1400. hæreticis exprobrauerit sui temporis, eosdemque naso suspenderit, quòd laicis sacerdotalia (quædam forsan) munera iniunxerint; quòd tamen vlla hæreticorum secta ante Martinum Lutherum asseruerit, quemlibet laicum esse ita sacerdotem, vt sacramentum corporis Domini posit ritè conficere, & administrare, atque à peccatis absoluere, non facilè adducor vt credam, sed de hac re latiùs suo loco.

F. Lutherus alter Ieroboamus in septentrione.

Lib. de præscrip. aduers. hæres.

XI. Inunctus itaque, vt iam commemoratum est, in Regem Iehu, diuinam vltionem non modò in domum Achab, sicut prędictum erat futurum per Dei Prophetam Eliam, sed & in Ochoziam Regem Iuda, qui ipsi Achab sanguine, amicitiâ & noua, seu falsa religione iunctus erat, magna seueritate exercuit. Nam non solùm 70. filios Achab, iam tunc interfectos & cęteram eius domum, sed & Ochoziam Regem Iuda & 42. ipsius fratres, qui tunc Ioram vulneratum consolaturi diuino quodam nutu, vt plecteretur, venerant, vti & astu & dolo bono etiam Sacerdotes Baal interfecit, cuius & templum in latrinas rectè conuertit.

3. Reg. 21.

4. Reg. 10. c.

Defuncto Iehu, successit Ioacham filius eius, & ipsi Ioacham pariter eius filius Ioas, sicut & Ioas ipse Ieroboã, & Ieroboam deniq; Zacharias, per lineam rectã, ad quartam vsq; generationem, vti iam dictum est, prædictum fuisse, & præfinitum à Deo propter ipsius Iehu obedientiam, & zelum. Quid multa? hi omnes tuendi temporalis regni causa, perstiterunt in schismate illo horrẽdo, & errore Ieroboami, qui prim⁹ peccare fecerat Israël: Cumq; sæpius admonerentur, affligerentur, & humiliarentur, non sunt reuersi ab illo erroris baratro, in toto corde ad Dominum, gloriam suam tandem amisêre. Nam Zachariam cùm sex tantùm mensibus regnâsset; Sellum quidam filius Iabes, coniuratione facta interemit, & in eius solium irruit,

Ioacham. XII. Ioas XIII. Ieroboã. XIIII. Zacharias.

Sellum

Sellum posteà cùm vno tantùm mense regnum occupâsset, à Manahem filio Gadi occisus est.

XI. Ibidem d. Deinde Manahem, cùm 10. annis regnum tenuisset, nec recessisset à viis Ieroboami, grauauit regnum ingenti pecuniæ summa, quam Phul Regi Assyriorum vt se, regnumque suum tueretur, quotannis soluit, satis inglorius vita defunctus est.

XVI. Ibidem c. Post Manahem, Phaceia eius filius biennio regni habenas tenuit: quem Phacee filius Romelię quidam eius Dux occidens, sibi

XVII. imperium vendicauit.

XVIII. Aduersùs Phacee Oseæ filius Ela coniurauit; quem & occidit, in cuius & solium conscendit, & hic quidem vltimus in Israël regnauit, cui sicut & cæteris omnibus ante eum, illic Regibus sigillatim in sacris literis vehementer exprobratur, quòd à viis Ieroboami, ab horrendo illo schismate, quo Dei populus à sancta Ierusalem, à domo Dei, eiusque cultu atque orthodoxa denique doctrina (quæ diuina autoritate illic florebat) abercebatur, non recesserint: sed suis erroribus & idolomania temporalis regni asserendi causa; delectati, obliti fuerint & legis, & pacti Dei sui. Atque ideo tandem, primùm traditus est Oseę in seruitutem Salmanasar Regi Assyriorum: deinde ab eodem raptus, vinctusque in carcerem coniicitur: postremò & tota illa 10. tribuum multitudo è suis sedibus eiecta, inque Assyriam abducta, sedere iussa est ad flumen Gozan, in ciuitatibus Medorum.

3. & 4. Reg. vbique.

4. Reg. 17. a. b.

Quàm seuera vindicta idololatrię & falsæ religionis, quamq; tristis imago regni schismaticorum.

Grauis quidem fuit illa vindicta, sed grauior multò, quòd nulli omnino ex tot hominum milibus fuerit concessum ad sua denuo remeare. At longè grauissima, quòd nihil omnino hodie constet, nec vlla memoria, aut monumentis traditum sit, quid tandem de tam numerosa gente actum sit, quônam postea deuenerint, aut vbi terrarum nunc deliteant? Nam ea res adeò obscura est, vt cæteri Hebræi, qui iam ex tribu Beniamin, & Leui prognati, super faciem vniuersæ terræ, ob interfectum iustum ipsum, tot iam seculis sunt dispersi, tam fabulosa ea de re confingant, vt sua perfida fide, illos credant nescio quibus Caspiis montibus conclusos detineri, donec indè eripiantur à suo Messia, (Antichristo nimirum) quem traditi in reprobum sensum expectant futurum.

En tibi, seditiosi illius cruenti, & perditissimi tandem regni, quod seditionum, errorumque ministri in Remp. Christianam,

non

non minus impiè quàm subdolè transferre student, tristissima quidem & nunquam satis deflenda imago. Tam fœda, atq; atrox est huius monstri, non regni facies, vt solo suo nomine, ne dicam aspectu,(quem longè à nobis auertat omnipotens)horrorem piis omnibus, Christianæ pacis studiosis, Dei inquam filiis protinùs incutiat, nihil dubito. Quare admonitos velim, vt qui aliter animo se sentiunt affectos, longissimè quidem se existiment abesse ab illo Dei regno, (quod est iustitia, pax & gaudium in Spiritu sancto) in quo sunt omnia, vt castrorum acies ordinatissima: quod proinde hostibus meritò terribile, atque reformidandum sit, necessum est. Rom. 14.c. Cant. 6.b.

Si quis me pluribus, quàm sit par, his insistere putet: reputet mecum, oro, è multis hæc pauca. Primùm, quàm terribile esse debeat hoc tempore nobis omnibus, qui stupiditatis callum minimè obduximus, quòd, quotquot Christiani hodie in orbe censentur, ad alterum duorum regnorum illorum, Iudæ putà, & Ierusalem, aut Israëlis, & Samariæ, præfigurati sint; quòd verò schismaticum Israëlis regnum non obscuro, sed illustri satis typo, Græcorũ, & reliquum Orientis imperium maximè adumbrauerit, nemo pius (certum est) reclamabit: maximè cùm res ipsas figura prænotatas, magna ex parte impletas videamus. Nam sicut Israëliticum regnum satis ex ipsis sacris literis, ob schismata & alios fœdissimos in religione errores, in manus Assyriorum traditum didicimus: ita & Græcorum, siue Orientis imperium, ob eiusmodi, proculdubio, scelera (nam à schismatum, contra Ecclesiam Latinam, errorumque tempestate Græcos nunquam sibi cauisse, clarius est, quàm vt explicatione indigeat) sub pedibus immanis illius bestiæ, publici Christiani nominis hostis, iam conculcatum esse, non sine summo animi dolore, quicunque Christi gloriæ imperiique studiosi sumus, oculis nostris videmus. Terrorem quoque addere debet & temporum, & mutua vtrorumque populorum, veteris, & nouæ legis, & inter se, & cum alteris collatio. Nam si tempora cõferamus, captiuus ductus est priùs in seruitutem populus Israël, per annos 135. quàm Sedechias Rex Iuda, succenso Dei templo, & ciuitate, per Chaldeos, trucidatis coram se filiis, oculisque sibi deinde effossis, cum populo abductus est Babylonem. A capta verò Constantinopoli agitur iam annus 128. si causas euersionis regni Iuda, & Ierusalem quæras, easdem ferè inuenias fuisse, quas iam

Quotquot Christi nomen profitentur, vel ad regnum Iuda, vel ad regnũ Israël spectãt: hoc est, vel sunt Catholici, vel schismatici & hæretici.

De imperio Orientis nobis iam sublato.

& qua de re.

Collatio regnorum in vtroque populo.

ruinam fuiſſe 10. tribubus indicatum eſt: nimirùm quòd relicto vero Dei cultu, orthodoxaque religione, & doctrina, præuaricati fuerint iniquè, iuxta vniuerſas abominationes gentium, quæ fuerant ipſis in circuitu: neque ſæpe à Prophetis admoniti imminentis cladis ad Dominum redierint. Verùm cùm omnia illi populo in figuris contigerint: quos præfiguràſſe veriùs dicemus regnum Iuda & Ieruſalem, quàm illam Eccleſiam Chriſtianorum, in qua viget ſumma autoritas, ſiue regnum imperiumúe ſpectes, ſiue ſacerdotium: Atqui hanc eſſe Eccleſiam Latinam negabit nemo, niſi inuidus Chriſti gloriæ, quæ in Latina Eccleſia eminentiſsimè ſemper floruit, atque etiamnum hodie (Deo gloria) fruſtra tot tamque diris hoſtibus tanto temporum decurſu circumlatrantibus, floret: & vt nihil aliud hoc loco dicam, ſi obſerues mecum veteres Patres, qui errores & hæreſes (vndè maxima vulnera veræ religioni inferuntur, & grauiſsimè Dei ira deſæuire ſolet) diligenter ſuis ſcriptis mandârunt, nuſquam pauciores exortas fuiſſe, quàm apud Latinos in Occidente, vbi adhuc præcipuè viget Chriſti religio, reperies. Quòd verò quidam ſpurij, hac tempeſtate eius filij, in Septemtrione (vnde, teſte propheta, pãdetur malum ſuper omnes habitatores terræ) plurimas latinæ etiam Eccleſiæ errorum, abuſuumque notas impudenti calumnia inurere ſtudeant, quomodo clariùs aliúnde rei veritas eluceſcet, quàm ſi controuerſa hæc omnia ad normam vniformis doctrinæ, celebriorum Conciliorum, & Patrum, qui ante mille annos ſuo lumine, duce ſacro ſcripturarum Canone, perpetuaque Eccleſiæ traditione, omnium errorum, hæreſeônque fumos, & tenebras diſpulêre, examinentur? Inde enim clarum fiet, iſtos, qui iam ſe ſolos ſapere affirmant, inſipientiſsimos eſſe: vtpote qui ſapientiſsimorum illorum ſapientiæ, qua Chriſtianus orbis tot ſæculis ſumma pace gubernata eſt, erectis vexillis giganteo more ſe opponunt. Porrò, cùm ad damnata hæreticorum conuenticula, relictis orthodoxorum caſtris, ſeſe proripiunt, quantancunque oſtentent ſuos vitulos aureos, eruditionem ſcilicet linguarum, & gloriam in armis; quid aliud quàm cum 10. tribubus illis, ſchiſmaticoq; olim Orientis imperio, in miſerrimam captiuitatem remis & velis, nauibus quoque atque quadrigis, quod dici ſolet, veſanè properant? Et tametſi in quibuſdam anguſtæ noſtræ Europæ angulis, non paucos diaboli laqueis irretiant, tantum abeſt tamen, vt columnæ veritatis

Cauſę ſubuerſionis 10. tribuum.

Apud Latinos minus graſſatæ ſunt hæreſes.

Res cõtrouerſæ, ex conſenſione antiquitatis cõponi debent.

Vituli aurei hæreticorum.

tis interim Ecclesiæ incommodent, vt commodent plurimùm. Nam, non solùm sua importunitate Catholicos à corpore ad maiorem pietatis feruorem, acrioraque sacrorum studia excitant, sed & maledictis & conuitiis in legitimam autoritatem contortis, ac blasphemiis in Dei religionem euomitis, Deum quoque ipsum aliquo modo admonuisse videntur, vt gratuiti sed magnificentissimi promissi suæ Ecclesiæ facti, aduersùs quam ne portas quidem inferi, nedum humanas vires aliquando præualituras affirmauit, esset memor. falluntur enim miserè, qui ex tanta tot gentium defectione quicquam Ecclesiæ deperiisse existimant: cùm de manu pastoris eius rapere possit nemo. Perierunt, certum est, per hæreses illi, qui, si fide integra in Ecclesia perstitissent, aliis criminibus à vita excidissent. Liberata est vtique Ecclesia, veluti corpus malè affectum prauis humoribus, & expurgata quoque quasi riticum leuibus paleis noxiisq; zizaniis. Proinde curata non depauperata, sed mundior & splendidior effecta. Cauendum interim & ipsis, qui fidei integritate Catholicos se dici gaudent, ne ob vitæ improbitatem dicatur quoq; & eis, Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Peculiaris certè Dei populus erat, qui primus hoc ipsum & audire & ferre meruit, Atqui si gloriaris, tu Satanæ minister, paruum esse iam Catholicorum gregem in vniuerso Romano orbe, aut aliâs vspiam in continente, aut vicinis insulis, si priora secula consideremus: magnus ipse orbis conditor aperuit tibi nouum orbem, in quo ex innumeris, iisque feris gentibus, quasi ex lapidibus, non solùm se posse testatur, sed & suo quasi indice demonstrat suscitare filios ipsi Abrahæ: vt desinas gloriari aduersùs Deum, aut sanctissima eius castra improbissimè. At quibus Doctoribus, & qua primùm fide agnouêre illi Christum? Non aliis profectò quàm Catholicis & Catholica fide: vt intelligas ab ipso magno patrefamilias, eiusque ministris, bonum semen priùs solere in terram mitti: Zizania verò deinde ab inimico homine, & eius satellitio, vt infrà fusiùs differetur, dormientibus hominibus superseminari solere. De his hactenus.

De nouo orbe & extremis Indis ad Christum, idq; fide Catholica iam conuersis.

Qui facti sunt hæretici.

Matth. 13. d.

Nunc rursus ad fœdissimam istam cruetæ politiæ imaginem, quam mundo inuehere moliuntur aduersarij, oculos stilumque paulisper reuocemus. Si verò quisquam adeò cornea sit fibra (vt cum poëta loquar) vt iis paucis, quibus perpetuas miserias, & hor-

Altera imago regni, quã animo cõcepêre aduersarij.

rendum denique excidium Iſraëlitici regni delineauimus, vt antiquitate forſan (vt putabit delirus) obliteratis nihil terreatur, adfero iam & noſtro ſeculo regni, quod animo concipiunt, expreſsiſſimam quidem imaginem: vt intelligas miniſtrorum ſynagogam, ſuis duntaxat affectibus moueri, non ratione, non legibus, non populi vtilitate, & multò minùs autoritate verbi Dei.

Cauere ſibi debent hic non ſoli Catholici, ſed & alij.

Quantum igitur ſibi ſuisque rebus, ex iſtiuſmodi ſuperbiſsimorum hominum audacia, proſpicere debent, non ſolus Cæſar, (cuius ſolius hîc meminêre iſti pacifici viri) ſed & cæteri Chriſtiani, Reges, Duces & Principes quacunque ſibi placent fidei confeſsione, quibus res Britannicæ, Angliçę inquam & Scoticæ, Gallicæ quoq; ſimul & Belgicæ, documento eſſe poſſunt. De quorum cruentis tragœdiis præſtat, nulla quàm pauca dicere; vnum tamẽ hîc præterire non poſſum, ne fortè ad multorum aures in has regiones nondum ſit perlatum: ſi fortè & illud poëticum meminiſſe, iuuare poſsit.

Nam tua res agitur, paries cùm proximus ardet: Nec non & illud fortaſſe magis, quod continuò ſubditur: Et neglecta ſolent incendia ſumere vires. Neminem opinor ego eſſe, in Germania, qui negabit, fœminam maſculorum defectu ſuccedere, alicubi poſſe ſuo patri in regnum, principatũ aut in quoduis aliud dominium hæreditarium: tamen in Anglia regnante ſereniſsima Regina Maria, Philippi Catholici Regis pòſt paulò coniuge, poſt ſeditionem populi periculoſam ſatis Duce Vieto quodam equeſtris ordinis homine contra illam excitatam, ſopitam tamen ſubitò cunctis admirantibus, Dei munere, hoſtibus fuſis & coniurationis Principibus ſupplicio affectis, editus ſtatim poſteà à ſeditionum miniſtris eſt illìc libellus quidam, cui nomen dedêre primum Tubæ clangorem, (Nam alios duos promiſerant) aduersùs monſtroſum regimen muliebre. Eodem tempore in Scotia regnauit eiuſdem nominis, fidei & pietàtis, nec non & multis aliis virtutibus inſignis Princeps noſtra, Sereniſsima Maria, Scotorum Regina, ſponſa tunc Chriſtianiſsimi Franciſci ſecũdi Gallorum Regis. quę & hodie Caluini miniſtrorum maximè ſuaſu, quòd ſit auitæ religionis ſeruantiſsima, iniquiſsima iam extra ſuum regnum, à ſibi non vno nomine coniunctiſsimis, violato hoſpitij iure, infandum, ferre cogitur. In has Reginas multis amicitiæ vinculis inter ſeſe coniunctas, ſicut & in alias omnes earum cauſa fœminas, quæ in ſe au-

Quid contigit in Anglia regnãte Maria Regina, quod & participauit Maria Scotorum Regina.

se audeant regimen aut principatum supra populum Dei, libertatem scilicet Euangelij (vti scripsêre) profitentem, suscipere, tam atrociter eo libro debacchatum est, vt non veriti fuerint modestissimi homines, eius libri autores, ipsas Reginas, eo tãtùm nomine, quòd eam dignitatem in se susciperent, manifestam exercere tyrannidem, esseque illas propterea naturæ monstra, Deo rebelles, & patriæ proditrices, summos quoque illos Christianæ orbis Reges tyrannos esse, idololatras & membrorum Christi persecutores immani voce clamitare. Subdiderunt quoque in fine eiusdem libelli, quod maiore admiratione dignum est, id, quod de cogendis etiam in ordinem Regibus animo concepêre: atq; illud quatuor pronunciatis quasi præparatoriis ad secundum libellũ contra Reges edendum. Quas quidem propositiones ad verbum quidem versas sic accipe.

Neque solus partus, neque sanguinis propinquitas est, qua efficitur, vt Rex legitimè imperet populo, Christum Iesum æternamque eius veritatem profitenti, sed & in eius electione, quem ordinem constituit Deus in inferiorum iudicum electione, obseruari oportet: I.

Nullus manifestus idololatra, neque notorius sanctorum Dei II. præceptorum transgressor promoueri debet, ad quoduis publicum regimen, honorem seu dignitatem in quodcunque regnum, prouinciam aut ciuitatem, quæ se Christo Iesu sacrosanctoq; eius Euangelio subdiderit.

Neque potest iusiurandum, votum, seu promissio constringere quenquam populum, vt tyrannis obediat, cósue in Deum & agnitam eius veritatem tueatur. III.

Sed si vel incircumspectè promouerint quemlibet manifestè IIII. impium, vel ignoranter delegerint talem, qui post indignum se prodat, autoritate in Dei populum (quales sunt omnes idololatræ crudelesque persecutores) æquissimè possunt iidem deponere & castigare etiam eum, quem inconsultè antè nominauerant, constituerant & delegerant.

Quis non hîc iure miraretur, audacissimorum hominum superbiam dicam, an amentiam & furorem? quippe qui non modò nihil verentur receptissimas vbique ferè Christianorum leges, insigni quadam cum contumelia impietatis damnare, sed & sacris literis bellum palàm indicere. Negant forsan hoc posterius, cùm

Iosias anno 8. Ioas anno 7. regnauit. 4. Reg. 22. a. 2. Paral. 34. a. Ibidem 24. a. In solium Dauid sola sanguinis propinquitate successêre.

illud prius dissimulare nequeant. dicant igitur velim, vt vno verbo hæc, quæ fusiùs hîc explicare non est nostri instituti, expediam; fuit ne sanctissimus Iosias, legitimus Rex Iuda? fuit ne Ioas? non negant, scio: At ille octauo tantum ætatis suæ anno, hic septimo duntaxat in Regem assumptus est. Ostendant igitur, immanes isti Regum non censores & iudices, sed apertissimi hostes, vbinam locorum assumi solent, populi electione in Magistratum, puelli septem aut octo annorum? Et dicant obsecro rursus, an quisquam vnquam in solium Regis Dauid, à Deo primùm vocati (qui verè Christianum & Catholicum Regem sui figura expresserat) electione populi, & non sanguinis ratione legitur assumptus?

Aduersarij se suo statim postea iugulauère gladio.

Porrò si sint tam stupidi, vt hîc gladio verbi Dei se minimè vulnerari sentiant, videat candidus lector, vt eiusdem fabulæ autores se, suo ipsorum gladio suisque manibus, haûd multò postea iugulauerint. Qua rogitas ratione? Ea nimirum, qua Mariam Scotorum Reginam, Dominam suam verè illustrissimam (successit enim in Regni thronum centum & quinque Regibus prognata) è solio vi magna eiicientes, eius filio vixdum vnius anni infantulo, Regni diadema, quo ipsius noua, noui Euangelij libertate, & impunita illa atrocissima rebellione fruerentur, imposuêre. At quo autore & impulsore id factum putas? non alio profecto magis, quàm eodem infausti nominis ministro: qui suum libello illi & nouis legibus nomen præfixerat, qui & à cæteris ministris in Scotia, quasi Patriarcha quispiam haberi voluit. An verò Deus hunc ordinem constituit, in inferiorum iudicum electione, vt infantes scilicet sint iudices; sicut non est iudicatu difficile, ita speramus maximæ iam spei, Serenissimum Principem ipsum (quem è manibus hostium, omnisque mali eripiat, ipse in cuius manu sunt corda Principum & iura regnorum) aliquo tandem die rectè iudicaturum. Quàm infeliciter verò cesserat quibusdam è principibus viris, eorumque familiis, qui his turbis siue euertendæ veræ religionis, siue promouendi noui Regni assensum opemue, vel simulando, vel dissimulando tulêre, opus esset altero Homero, qui alteram nobis Iliada luctuosè decantet. Sed redeo ad ea, quæ in Anglia hactenus à Ministris geri, dicere ceperam.

I. Nox.

Infantes aut pueri non solere eligi in iudices.

Diuina vltio in autores turbarũ.

Opere-

Operæprecium est itaque diligentiùs aduertere, quàm constantes fuerint isti noui legumlatores, quàm sinceri & æqui decernendorum principatuum iudices, & quàm sibi denique similes: Defunctæ enim optimæ Mariæ Anglæ successit, quæ iamdiu regni habenas tenet, Virgo Elizabetha; quæ cùm inauguraretur ac inungeretur Catholico ritu, sperabatur ipsa, tametsi in schismate à teneris vnguiculis fuisset educata, futura Catholica; sed inualescente aduersariorum potestate aliter euenit. Quid? repulsis Catholicis Episcopis, agglomerati continuò sunt ipsi omne genus ministri; quorum sententia, ipsa fœmina cùm sit, cumque nullis populi suffragiis electa, sed sola sanguinis propinquitate, non tantùm legitima ab eis habetur Angliæ Regina, sed Anglicanæ quoque Ecclesiæ, etiam in spiritualibus caput, Diuo Petro successor, & viris omnibus, qui in Ecclesiastica etiam Hierarchia, præeminens. Accedit præterea, vt ministrorum candorem magis admireris & pietatem; coguntur subditi, sic vbi fauere Catholicæ religioni creduntur, iurare non tantùm se talem imposterum Reginam habituros, sed iuxta Euangelium se hoc credere teneri: Quis hîc diceret esse aliquam tyrannidem? Quis nouum aliquod Euangelium? Quis istos vel latum vnguem ab expresso Dei verbo, ab institutis Apostolicis, à receptis vbique Christianorum legibus, à doctrina & ritibus primitiuæ Christi Ecclesiæ, ad cuius normam omnia, sublatis abusibus, reuocare se dicunt, discedere affirmabit?

Quàm prothei & sibi dissimiles ministri.

Neque inutile puto futurum, si hoc quoque singuli quique Principes obseruent, quod posteà illîc contigit. Constituto iam regno in manu fœminæ, acclamantibus ad vnum ministris omnibus, rursus inter sese diuisi sunt ministri, non ob regni sceptrum commissum fœminæ, sed ob ritus maximè Ecclesiasticos, quos publicè quidem plerosque omnes, si Caluinicos, quos illic puritanos vocant, excipias, cum Catholicis adhuc in Anglia seruant communes, tam circa ministeria Ecclesiastica, quàm circa habitum Cleri; cuiusmodi quidem ritus exterminandos censent ad vnum omnes puri puti Caluinistæ, quos ibidem Puritanos propterea vocant, quòd spretis omnibus Christianorum cæremoniis & ritibus, circa Sacramenta & politiam Ecclesiasticam, tametsi vbique terrarum ab ipsorum Apostolorum ætate, ab orthodoxis magna cum vtilitate seruatis, ex oculis penitus

Inter ministros aëris pugna exorta.

& memoria hominum; externaque omnia, quæ hebetes sensus nostros ad pietatem extimulent, auferenda esse decernant. Res mira: decreuêre inter alia absurda plurima atque planè impia, ipsi homines cùm sint, sed qui humanas traditiones quasi ipsi planè diuini & omnem carnem exuti, plus quàm hostiliter insectantur: decreuêre inquam vbicunque in Britannia dominari permittuntur, atque constituêre indictis seuerioribus pœnis, ne vlla quid dicam Apostolorum & beatissimæ virginis Deiparæ? sed ne ipsius Christi nati (ô spiritum Machumeticum) circumcisi, à Regibus adorati, passi, resurgentis, aut ad patrem ascendentis, descensúsue Spiritus sancti in Apostolos, annua celebraretur memoria: tamet-

Epist. 118. si non ignorant scio, D. Augustinum, Ecclesię vniuersæ consuetudine confirmatum palam asserere, insolentissimæ esse insaniæ disputare, debeantné eiusmodi vbique à Catholicis hactenus reuerenter custodita à nobis obseruari, an non. Neq; inimici ignorare possunt, nisi ignorent omnino patrum scripta, inter eiusmodi traditiones Ecclesiasticas vbique terrarum communi consensione receptas, & inconcussè hucusque seruatas, nullas fuisse vnquam celebriores & maiore in veneratione habitas, quàm crebram nostri dominica cruce consignationem, & erectionem altarium & Ecclesiarum: licet in vnius tãtum Dei cultum (cui soli sacrificium rectè offertur, altaria ædificantur, templa extruuntur) in memoriam tamen beatissimorum Christi Martyrum aliorumque ipsius Sanctorum; è quibus illam inimici iam crucis Christi, superstitioni, incantationibus, nec non & arti magicæ, hanc autem idololatriæ, vt olim impurissimi Manichæi, ascribunt. Manichæorum & istorum calumniam nobis & vniuersæ Dei Ecclesiæ appositè quidem vno verbo olim abstersit D. Augustinus, eo quo iam expressimus sensu. Ita tamen inualuit apud istos hostes humani generis impietas, vt trophæa crucis Christi plus quàm turcica feritate vbique confringantur, Dei templa cum altaribus, tanta maiorum pietate, tamque magnificè extructa, plus quàm Antichristianè funditus euertantur. Quòd verò Dei altaria effodiant, ipsi Deo debitum honorem & proprium cultum cum Lucifero inuidere se declarant. Nec verò quisquam me hic asperiorem, quàm par est, oro, existimet, siquidem quisquis verè Christianus est, sentit in se, nihil dubito, hæc tàm indigna audiens, illud quod scriptum est: Zelus domus tuæ, comedit me: & hos audacissimos & impios

Traditiones receptissimæ toto orbe, quas Caluiniani idololatriæ vel magiæ ascribunt.

Cũ Manichæis calumniantur Catholicos.

Ioan. 2. c. 4. Reg. 19. C.

impios homines, pro Turcis potius Antichristis aut Atheis habere vult, quàm fateri vniuersa Dei agmina, quæ ante nos vniuerso orbe, tot seculis, hac nostra fide floruerunt, idololatriæ crimine fuisse obstricta. Docent præterea (vt intelligas istos ne legem quidem naturæ rectè scire) inter Episcopum & militem, siue quemuis alium, inter clerum & populum, nullam esse penitus habitus, ne in Ecclesiis quidem suis, (si eiusmodi prophanæ synagogæ Ecclesiæ & non potiùs abominationes desolationum sint dicendæ) differentiam constituendam, in sacrilegiorum suorũ (Sacramenta vocant ipsi) administratione, cæremonias nullas externas exhibendas, nisi Dei verbo expreßsis nominibus contentas: atque alia eiusmodi reiiciunt multa, quæ omnia vel naturæ lumine (quod nequaquam gratia offuscatur sed illustratur, docente Apostolo: Quæcunque pia, quæcunque sancta, quæcunque ad honestatem & ordinem faciunt cogitanda & pręstanda esse) obseruari poßsint & debeant. In summa; ab ipsis Puritanis, magis sibi, suoque diademati timendum putauit hactenus Elizabetha (cui sane gloriosius esset, timori Dei cuncta terrena postponere & transitoria) quàm ab omnibus in sua ditione, quorum non exiguus est numerus, Catholicis: aut etiam vel à vicinis regnis quantumcunque irritatis.

Necessum est, vel veteres Patres omnes, vel Aduersarios hæreses damnare.

Philip. 4. b.

Aliorum exemplo cauendum.

Non abs re igitur optimè equidem consultũ cupiens principibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt constituti (pro quibus, docente me Apostolo, orationes & obseruationes quotidie offero) horum mentionẽ hîc facere me puto: cùm nihil dubitem, hoc primum seditionis semen, hoc rebellionis flabellum ab aliquo Puritano Sacramentario, vel saltem à nouis istis Manichæis, qui forsan iam nouo ad rebellionem fœdere inito, dextras dedêre Caluino, in vulgus emissum esse, faxit Deus vt vigilent, & tempore meminerint Principes, quantulus ignis totam syluam incendere poßsit, atque demum discant, venienti, vt scribit ille, occurrere morbo.

1. Timoth. 2.

Ia. 3. b.

Iam videor mihi satis superq; dixisse, quò incauti sibi ab istorum callidißsimorum hostium iaculis maturè & prudenter caueant. Vulgare est illud, præuisa seu antè conspecta iacula, minùs ferire solere. Attamen aduersarius, dum suam quæstionem vnam, & deinde alteram (duas enim ponit) suo more explicat, me cogit, vt de multo plùribus disseram: quod faciam nihilominus, quãta potero perspicuą breuitate. Quæ omnia ad duo præcipua capita

Ad 2. capita, quę sequuntur retexenda: id est, vel ad obedientiam Principibus prępandam, vel vt fugiantur sectarum ministri.

referenda sunt, vel ad eam, quę Cęsari, cæterisq; Christianis Principibus, obedientiam, etiam si sint ipsi tyranni vel impij, debetur, vel ad eam veræ religionis partem, qua nobis à sectarum omnium ministris, summopere sacris literis cauere, præcipimur. Posterior verò pars bimembris erit: priore enim docebimus, nō solos atrociorum illarum factionum Manichęorum, Anabaptistarum, Arianorum, Marcionitarum, Antitrimitariorum, & similium, sed & eorum omnium, qui se à communione sanctæ Romanæ Ecclesiæ nostro seculo seperauère, ministros fugiendos esse: atque id duplici ratione, vel quòd Euangelicam, orthodoxam & Catholicam veritatem plurimis, teterrimisque erroribus, magna cęcitate corruperint, vel quòd in functionem Ecclesiasticam, nulla potestate ordinaria, vel extraordinaria vocati, magna sese temeritate atque reclamante Dei verbo ingerant. Errores patebunt, non solùm per scripturas & primaria Concilia illa, Nicenum, Ephesinum & Chalcedonense, sed & per Cæsareas leges ante mille amplius annos, in Catholicæ defensionem Ecclesię latas. Interea ipsam quæstionem ita agitabo, vt intelligat clarè lector, qua arte, quibusq; imposturis sinistrè eruditam Nobilitatis partem, imperitamque multitudinem, vt Principibus sese opponant: initio quidem in negocio religionis, deinde & ad arma conuolent, quibus falsam religionem propugnent, pellicere student. Ac primùm ostendam quæstionem ipsam ex scripturis, esse ineptisimè ab illis propositam, atque ea propterea ratione, nulla in re obedire oportere ministris istis, qui Dei nomine ad illos fallacißimè & mendacißimè accedunt, sed omnino Cæsari in ipsius vocatione, vt Dei ministro, & Ecclesiæ filio, eiusque sincerißimo Patrono, incunctanter obtemperandum esse. Neque quisquam odio, aut liuore occæcatus, aliud sibi in animum inducat velim, nisi sciat se posse ostendere, in quo pientißimus hodie Rodolphus, à vestigiis piorum Principū, Constantini M. Theodosij (quos Aduersarius ob sinceritatem religionis pluribus laudibus effert) Valentiniani pariter, Martiani, Iustiniani, & postremò Caroli M. cuius pietate & bellica virtute, Ecclesia apud germanos primùm ab infidelium armis vindicata est, aut ab aliorum optimorum Cæsarum integritate in negocio religionis, vel latum vnguem dißideat. Hoc cùm poßit nemo (certo certius est) quo supplicio digni sunt subditi, qui illiusmodi Ægyptiis incātatoribus, siue seditionum ministris aures adhi-

Ministros dupli ci ratione fugiēdos, vel quòd corrumpant Euangelicam doctrinam, vel quòd non sint à Deo missi.

Errores patebūt non solùm per scripturas, sed p primaria quædā Concilia, & per Cæsareas leges.

Deteget Aduersariorum ars.

Quæstionem ineptisimè ab eis propositam.

Non posse ostendi, in quo Cæsar hodie dissentiat religione à Constātino M. Theodosio & similib.

adhibent, aliis iudicandum relinquo. Ego verò, quod cepi, iam persequor.

Principiò, vt rectissimè & aptissimè quidem asseruerunt Apostoli coram Iudæis, obedire oportere Deo magis, quàm hominibus, ita ineptissimè ministri eam pro se agitant quæstionem. Et ratio in promptu est, nam missi erãt Apostoli à Deo, plenè quidem & verissimè in negocio religionis instituti, proque Christo legatione fungentes, plenam & verissimam pariter potestatem à Deo, vt alios instituerent, accipientes. Ministri autem neutrum horum habere, neque sanam doctrinam, neque legitimam autoritatem, facilè pernoscuntur. Primùm enim, cuiuscunque sint sectæ, nisi ostendant, se ab omni secta alienos, & ita demum filios esse sanctæ Ecclesiæ Catholicę, quam in Apostolorum Symbolo totidem verbis (excepto, quod in germanicam linguam audio eos vertere, idque impiè & fraudulenter Christianam pro vocula Catholicam) nobiscum confitentur: non rectè institutos esse, ne ipsi quidem, nisi impudentissimè negabunt. siquidem extra Ecclesiam, de qua loquimur, sanam non esse doctrinam omnibus in confesso est. Manifesta est enim Apostoli sententia: Qui non aguntur spiritu Christi, hi non sunt eius. Spiritu autem Christi, solum Christi corpus, quod est Ecclesia, agitur, viuificatur & regitur. Ecclesia mysticum Christi corpus, vnica eius dilecta sponsa, pro qua sanctificanda, promouenda & confirmanda, tot tantaque Rex Regum vltrò sustinuit, non sub vno aliquo Duce, Marchione, Comite, aut Regulo, delitescere fingenda est; sed regnare à mari vsq; ad mare; & breuiter in hæreditatem accipere, terminos orbis terrarum, firmissimè credenda est. Ad hanc enim è longinquo venient, & vt habet Propheta, Ecce illi ab aquilone & mari, & isti de terra australi. & adferent, ait idem, filios tuos in vlnis, & filias tuas super humeros portabunt; cum magna festinatione nimirum ad baptismum properantes. Vnde patet, non magis nunc in solo Septentrione, quàm olim in sola Aphrica apud Donatistas, esse Ecclesiam; neque minores Principes solos eam fouere, sed verissimum esse, quod ibidem canit ille (Euangelicus propheta, dicamné an Propheticus Euangelista, nescio) Et erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ. Et quanta animi corporisque submissione eidem Ecclesię erant inseruituri, summi Principes, Reges, & Reginæ statim subdit, Vultu in terram demisso, adorabunt te, &

Ministros ineptissimè vsos Apostoli sententia pro se.

Ratio.

Rom. 8. c.

Sola Ecclesia Catholica spiritu Christi regitur.

Ecclesiæ amplitudo confundit omnem sectam.

Isa. 49. d.

Ibidem f.

Quantum ſeſe humilient Eccleſiæ filij ſuis Prælatis.

pulucrem pedum tuorum lingent. Eccleſiæ hîc nomine, procul-dubio Epiſcopos & Paſtores alios Eccleſiæ, vt præcipua Eccleſiæ membra, quæ & lucem & robur aliis miniſtrent membris, intelligit, quod per impletum videre licet, non in ſolo Conſtantino Magno: idque in maxima illa Nicena Synodo, in qua ſe Epiſcopis humillimè ſubmiſerat, ſed & in Theodoſio Magno humilianti ſeſe ſub Ambroſio Epiſcopo, ſed & iam in toto verè Chriſtiano populo incuruāti ſeſe vltrò ad pedes eius, qui ſibi omnes Domini oues omiſſas habet, Petri ſucceſſoris. Cum vera itaque Eccleſia, quam vbique terrarum diffuſam, probant ſcripturæ, nulla ſecta apud ſolas boreales gentes, ſi locum & terminos ſpectes, quicquam poteſt habere commune. Quod autem ex loco & amplitudine Eccleſiæ, contra Sectarios noſtri ſeculi infero, idem non minùs obſcurè colligo ex tempore: Nam vt non negant aduerſarij, Eccleſiam Chriſti verè plantatam vbique terrarum ab Apoſtolis fuiſſe, ita nec minus negare poſſunt, quantumuis æneis frontibus ſint infeliciter armati, eam ſemel plantatam ſubuerti funditùs, aut perire penitus deinde non potuiſſe. Receperat enim veritas ipſa, vt ſim in re manifeſta breuis, ſe cum ea permanſuram ad ſeculi vſque conſummationem. Dicat igitur quæcunque illa ſit hodie in his regionibus ſecta, quo tempore ipſa, ante F. Lutheri apoſtaſiã, toto orbe fuerit conſpecta? Quod cùm nequeat, certo certius eſt, declarat ſe aliunde, nõ electam vineam Domini, ſed adulterinam plantationem, atq; propterea eradicandam. Et fruſtra certè confugiet ad Huſsitas, VViclephiſtas, VValdenſes & Berengarianos, vt ſe portionem aliquam Eccleſiæ Dei, qui minimè diſſenſionis autor eſt, demonſtret. Primùm quia non minus ab illis diſſentit, quàm hodie inter ſe Confeſsioniſtæ, Sacramentarij & Anabaptiſtæ. deinde & ſi coniunctiſsimis animis vnum & idem cum illis crederet & doceret: quando extra prouincias paucas Europæ iſti aut illi ſua Zizania diſſeminauêre. Sed eſto, quòd vniuerſum iam orbem, veternoſo ſenio langueſcentem, ſuis veneficiis prẹter paucos Catholicos dementauerint: nequaquam ideo profectò ſeſe Dei Eccleſiæ communioni coniũgi probabunt: niſi ſe id credere, quod vbique ſemper, & ab omnibus anteà verè Chriſtianis creditum eſt, teſtentur apertè & demonſtrent. Attexo, & hoc vnum duntaxat hoc loco, ex ſacroſancto & ſingulari Eccleſiæ ſacrificio, quam Miſſam dicimus, argumentum: vt ex eo ſuperari noſcantur,

Eccleſiæ perpetuitas confundit pariter omnem ſectam.

Matth. vlt. d.

Nulla hodie ſecta, propter conſenſionem tum antqis hæreticis, poterit, ſe ad Eccleſię amplitudinem, vel perpetuitatem ſpectare, docere.

Catholicũ quid? Ex ſacroſancto Miſſæ ſacrificio argumentum ir-

de

de quo iampridem stultè se triumphâsse putant. Prædixit itaque idem Propheta, tunc futurum, vt in hac noua Ierusalem Ecclesia Christi, non ex vna tantùm tribu, vt olim apud Iudæos, sed ex omnibus gentibus in ministerium Dei Sacerdotes & Leuitas assumendos. Et assumam, ait Dominus per illum, ex eis (gentibus) in Sacerdotes & Leuitas. Et quorsum, obsecro, an vt sint omnes tantùm Sacerdotes spirituales, cuiusmodi sunt omnes boni Christiani, quatenus offerunt Deo, primùm sacrificium contriti cordis, deinde corpora sua hostiam mundam, mox vota & preces & sacrificia iustitiæ, laudis, & misericordiæ in egenos? Minimè gentium: Nam hoc nō esset ex electis gentibus assumere Sacerdotes, sed illas promiscuè omnes sacerdotes facere: cuiusmodi statim omnes baptizati, si quę promittunt, pręstant, efficiuntur; sed eos intelligit sacerdotes, qui offerant dona & sacrificia pro peccatis, & suis & aliorum. Ita enim ex hominibus idque pro hominibus assumitur, teste Apostolo, omnis Pōtifex siue sacerdos. (ἀρχιερεὺς enim Grecis summum sacerdotem sonat) Ad hæc nec in vno orbis angulo, vt olim sub Mose, tantisperdum deseruiebatur vmbrę futurorum, constitutum erat; sed in omni loco à solis ortu, vsque ad occasum prænunciauit Malachias Propheta, vnum hoc nouum & singulare nouæ Ecclesiæ sacrificium pro omnibus illis typicis veteris populi sacrificiis, vt oblationem mundam, & Deo quidem gratissimam offerendum esse. Id, quod beatissimus Christi martyr & eruditissimus Episcopus Irenæus, completum sua ætate fuisse, iuxta eiusdem Prophetæ vaticinium testatur, dum his verbis scribit; Noui Testamenti nouam docuit (Christus) oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens vniuerso mundo offert Deo.

[Margin: refragabile, oēs sectas nostri seculi esse à Dei Ecclesia alienas. — Isa. 66 g. — Sacerdotium cōmune omnium Christianorum quodnam sit. — Hebr. 5. a. — Vnum sacrificiū communibus illis Mosaicis sacrificiis in omni loco offerendum successit. — Malach. 1. c. — Apertissima veterum consensio hac de re. — Similitudo.]

Quod autem suo seculo, non minus eruditione quàm sanctitate insignis Episcopus Irenæus, factū fuisse toto orbe circa mundissimam hanc oblationem, iuxta Malachiæ vaticinium disertissimè testatur: illud ipsum earundem virtutum laude præcellens D. Augustinus, ad sua & deinceps tempora in Ecclesia summa cum laude durâsse multò pluribus verbis, pluribusque sacrarum literarum testimoniis subnixus, cùm aliâs sæpe, tum maximè contra deliros Manichęos disputans, testatum reliquit. Et si quis purioris illius, primæuæ & Martyrum Ecclesiæ fidem, de hoc tremendo mysterio magis perspectam adhuc & probatam cupiat. ab vno D. Cypriano abundè doceri poterit. Is siquidē ex instituto disputans

[Margin: Aug. li. 1. aduer. sar. leg. & prophetar. ca. 19. & 20. — Cypria. epist. 3. ad Cæcilium.]

de hoc ſummo ac ſingulari ſacrificio, contra Hæreticos quoſdam ſui ſeculi, Aquarios dictos, bene prolixo opuſculo docet, & ex ſcripturis præſignificantibus, & ex ipſius Domini traditione inter orthodoxos eouſque obſeruata, calicem in hoc ſacrificio, non ex ſolo vino, ſoláue aqua, ſed ex vino & aqua, ad deſignandam illam ſummam Chriſti & populi ſui, capitis vtique & corporis coniunctionem confici debere. Atque cùm oblationes illæ in vetere populo, quæ vnam Chriſti in cruce oblationem prænunciabant futuram, rectè ſemper & dictæ & habitæ fuerint ſacrificia, quis niſi alienatus admodum à via Dei, àq; ſenſu atque conſenſu illius purioris Martyrum quippe Eccleſiæ dubitare poſſet, ſitné legitima myſteriorum corporis & ſanguinis Domini, per eius Sacerdotem in Eccleſia celebratio verè & propriè dictum ſacrificiũ, ſi vel hunc vnum glorioſiſsimum Martyrem, in vno illo, cuius iam memini, opuſculo, vtcunq; agnoſceret: imô ſi vel hanc vnam illius ſententiam penſiculatius ſecum conſideraret? *Nam ſi Ieſus Chriſtus* (inquit ibidem inter alia) *Dominus & Deus noſter, ipſe eſt ſummus Sacerdos Dei Patris, & ſacrificium Patri ſeipſum primus obtulit, & hoc fieri in ſui commemorationem præcepit: vtq; ille Sacerdos vice Chriſti verè fungitur, qui id, quod Chriſtus fecit, imitatur: & ſacrificium verum & plenum tunc offert in Eccleſia Deo Patri, ſi ſic incipiat offerre, ſecundùm quod Chriſtum ipſum videat obtuliſſe.* Hanc vnam, non vnius Cypriani, ſed vniuerſæ Dei Eccleſiæ, & quæ tunc, & quæ antè quoque, quæq; & deinceps floruit, ſententiam quiſquis accuratius ſecum reputet, non potuit non videre, ſectarios ad vnum ferè omnes noſtri ſeculi, quatenus ſeſe coniuratos huius tremendi ſacrificij hoſtes oſtentant, vel hoc vno argumento à communione ſanctæ Eccleſię Catholicę, quam placuit Deo Patri ex omnibus gentibus, à ſolis ortu vſque ad occaſum per hoc ipſum ſacrificium, vt rectiſsimè ex regio propheta docet D. Auguſtinus, in vnum vocare, eſſe alieniſsimos. Verùm quoniam de vero hoc, plenoque ac ſingulari ſacrificio, quod typicis illis veteris populi ſacrificiis ſucceſsiſſe non ſolus idem Auguſtinus crebrò, apertè atque conſtanter docet, ſed & alij multi, & inter eos beatiſsimus ille Philoſophus & Martyr Iuſtinus, contra Tryphonem Iudæum diſputans: quodque & veteres Rabbini, ante Chriſti aduẽtum, loco omnium aliorum ſacrificiorum in omne æuum duraturum ex ſcripturis didicerunt, (pleniùs alio loco, Dei munere dicturi ſumus;) ſatis ſit hîc non obſcurè indicâſſe, vel hac

Lib. 1. cont aduerſ leg. & prophet. c. 19.

Lib. de fide ad Petrum c. 19.

vnâ,

vnâ, ſed illuſtri nota, aduerſarios veram & Euangelicam doctrinam vbique & ſemper in Eccleſia approbatam oppugnare: atque ideo inſolentiſsimè vſurpare ſibi Apoſtoli ſententiam, & autoritatem, qui pro Chriſto legatione fungebantur, quaſi ipſi à Deo, vt olim Apoſtoli ſpiritu veritatis pleni eſſent miſsi, & propterea quęrere, Deóne, id eſt, nobiſne Dei Legatis obedire oportet magis, an Cæſari? Sed quàm manifeſtis aliis erroribus iſtorum doctrina ſit implicita, ipſas quæſtiones diſcutiendo ſimul aperiemus.

Reſtat igitur, vt ea, quæ circa priorem quæſtionem ventilant, tametſi ex his multa ſunt, quæ nulla reſponſione digna videntur, in medium adferamus. *Aiunt igitur ſubditos, licet alicui Regi vel Imperatori ſubditi ſint, Dei tamen populum & hæreditatem eſſe, Principes verò huius hæreditatis adminiſtratores, atq; ideo ſequi: ſubditos vt Dei populum, Magiſtratibus ſuis tanquam vicariis Dei vlterius obedientiam præſtare non debere, quàm ipſimet Deo ſeruiunt: quamdiu ſecundùm verbum Dei populum gubernant, non verò quando aliquid Dei verbo contrarium iniungunt.*

Reges Deo ſeruire bifariam.

Seruiunt Deo Reges, atq; alij Principes omnes, duplici quidem ratione: vel quatenus ipſi ſunt Chriſtiani, vel quatenus Principes Chriſtiani populi. priore certè modo, in ſeruanda nimirum ſana illa orthodoxa & Catholica fide, quam ad ſacrum baptiſmi lauacrum fuerant profeſsi, cum totius vitæ innocentia, non minùs ipſi Deo ſeruire tenentur, quàm quiuis alij. Nam ſicut qui ſeruus ad Euangelij gratiam in Domino vocatus eſt, ſeruus eſt Domini: Similiter qui liber vocatus eſt, ſeruus eſt Chriſti. Verùm ſi Princeps hac parte non plenè ſeruit Deo, ſed committit forſan priuatim vel palàm quicquam diuina lege prohibitum, atq; ita quidem Deo aduerſatur, & cum facto negat; an continuò ſibi ſubditi propterea obedientiæ iugum excutere poſſunt? Non opinor, niſi miſeram & ſeruilem magis Regum conditionem ineptè credamus, quàm illorũ, de quibus ſcribit Dominus: Quodcunq; dixerint vobis, facite: ſecundũ opera verò illorum nolite facere.

Matth. 23.

Error Ioannis Huſsi erat, Reges non eſſe Reges, dum ſint in peccato mortali.

Quòd ſi aliter Satan meus ſentit, oſtendit ſe Huſsitam eſſe, & Anſeris ſui ſtrepitu magis, quàm hac clara voce Domini oblectari. Eatenus verò Principes & Rectores populi Deo rectè inſeruiunt, quatenus populum gladio ſibi commiſſo rectè gubernant, At gladius ille Principum proprius, nequaquam eſt gladius ille Spiritus, quod eſt verbum Dei: Sed virga ferrea, qua vindex eſt poteſtas

Gladius duplex: quorum alterū duntaxat poſſident Principes: alterum verò Epiſcopi & alij Paſtores.

ſtas à Deo ordinata, Apoſtolo teſte, in iram ei, qui malè agit. Nam alter ille gladius, ſolis Epiſcopis, aliiſque Eccleſiarum per Epiſcopos ordinatis Paſtoribus, quorum eſt Eccleſiam ſecundùm verbum Dei regere commiſſus eſt; vt docet diſertiſsimè Apoſtolus Act. 20. Illo gladio, aduerſus hunc alterum impiè immaniterque, ſed fruſtra trecentos circiter annos à Chriſto nato, in Dei populum ſæuientem, gubernata & toto orbe propagata atque communita eſt Chriſti Eccleſia. Paucis quidem locis ante Conſtantinum illum M. impletum erat illud Iſaiæ, Eccleſiam ipſam compellantis, Erunt Reges nutritij tui. Epiſcoporum igitur proprium eſt, non ſecularium Principum, ſi propriè quis loqui velit, fidelem populum ſecundùm Dei verbum gubernare; oſtendereq; hanc doctrinam eſſe orthodoxam & Catholicā, illam verò erroneam vel hæreticam: & ſuæ denique ſententiæ aduerſantes tradere Satanæ, vt diſcant deinceps à blaſphemiis deſiſtere. Quid? dicet quiſpiam: An non Principum etiam eſt populum ſuum ſecundùm verbum Dei gubernare? Si intelligas his vocibus nihil debere Principem cuiquam iniungere, quod cum Dei verbo pugnat; neminem iniquis oneribus grauare, tyrannide neminem premere: Sed ira, odio, atque aliis prauis affectibus vacuum, vnicuiq; quod iuſtum & æquum eſt, iudicio decernere: vt tranquillam vitam in omni pietate, liberi malorum timore agant fideles, non impiè intelligis, tametſi impropriè loqueris. Nam hæc dum rectè fiunt, tametſi verbo Dei, vt omne, quod æquum, iuſtum & ſanctum eſt, in genere quidem probantur: non tamen niſi, mediante humanarum legum autoritate; ſingula rectè fieri oſtenduntur. Tolle iura Imperatorum (id eſt humanas leges, ait inter alia multa hac de re eruditiſsimus ille Pater, Hæreticorum flagellum, D. Auguſtinus) & quis audet dicere: mea eſt illa villa, aut meus eſt ille ſeruus, aut domus hæc mea eſt? Iure enim diuino Domini eſt terra & plenitudo eius. Pauperes & diuites Deus de vno limo fecit, ait idem: & pauperes & diuites vna terra ſupportat. Iudicant igitur ἀμέσως Principes terræ per iura humana, quæ licet credendum ſit, Deum per Imperatores, Reges ſeculi, ea tributa fuiſſe generi humano, nunquam tamen nomine verbi Dei cohoneſtata leguntur. Et tantum abeſt, vt eo nomine illa dignetur hic legum & Regum reformator, vt eiuſmodi omnia, nomine humanarum traditionum, vt ſe infrà aperiet, abrogata eſſe velit. Iudicat etiam, (rumpatur licet inuidus)

C. 49. f.

Quo ſenſu regūt Principes ſubditos ſecundùm verbum Dei.

Humanis legib. Rex tradit cuiq; quod ſuum eſt, quod eſt iuſtitiā adminiſtrare. Aug. tract. 6. in Ioann.

a. Immediatè.

Omnes leges abolere ſtudēt aduerſarij nomine humanarū traditionum.

inuidus) populum pius Princeps per leges Ecclesiasticas, dum ab antiquarum & nouarum sectarum Magistris, fidelium terras suo sceptro liberat, quod pietate insignes omnes Imperatores, neque frustra sæpe tentauerunt; verùm si per illas voces intelligis, qui tuus, improbissime, scopus est, penes quenquam seculi Principem, vel Cæsarem ipsum esse, vt de dogmatibus religionis, posthabito Episcoporum sensu atq; cõsensu, aut ipse iudicet, aut vt sua solius autoritate, pro Episcopis constituat, qui iudicent, tu Principibus obtrudis, quòd omnium piorum Principum aures meritò semper sunt auersatæ: quippe qui non ignorauêre sui muneris in Dei Ecclesia fuisse, suo imperio per humanas, sed non impias tamen traditiones, per publicas inquam leges, tàm Pontificias quàm Cæsareas, à flagitiis malos coercere, tranquillaque in pietate fouere bonos: minimè verò de sublimibus fidei mysteriis sententiam ferre, neque sua autoritate in subditorum animas & conscientias, nouam aliquam religionis formam illis iniungendo, dominari.

Per Ecclesiasticas etiam leges, tuetur pius Princeps Ecclesiam.

Non esse Cæsaris de religionis dogmatibus definire.

Alioqui dominaretur in consciẽtias hominum.

Hîc aduersarius, cùm maximè nobis officere studet, non potest non concedere, & suo suffragio illud ipsum, quod nos contendimus, non obscurè approbare. Nam proposita in medium quorundam Atheorum obiectione dicentium: *Quid ad subditos, quando Princeps aliquis hoc vel illo modo religionem instituit? Cùm non sit illorum, ea de re Deo rationem reddere? Quin permittitur vnicuique Principi de suis reddere rationem: cùm possit quisque in sua prouincia circa res diuinas constituere, prout vult. Nemo potest aut debet illi propterea obgannire aut contradicere:* Ad quod ita respondet. *Ad hoc audi Prophetam Oseam 6. cap. ait, vbi ita dicit: Principes Iuda vbi similes his sunt, qui præscriptos sibi limites transgrediuntur; quare iram meam effundam, velut aquam. Ephraim vim patitur & affligitur, & hoc iustè; quia dedidit se humanis præceptis.* Nihil equidem hîc moror, vndè ista colligat, quàm rectè citet, aut vertat. Satis sit ostendere hominem se suis hîc laqueis irretire, suoque se tandem gladio iugulare. *In hoc loco agit Propheta;* ait, *tam de Magistratibus quàm de subditis: de Rege, Principe & Imperatore dicit, quòd peccant, quãdo præscriptos sibi fines trãsgrediuntur; hoc verò fit, quando non sunt contenti iurisdictione à Deo accepta: sed eam transgredientes, non solùm de substantia Subditorum, de corporibus & vita potestatem habere præsumunt, sed etiam conscientiæ & animæ, (quam Christus suo sanguine redemit) dominium sibi in peculium vendicant.*

De iniquo dominio in hominũ couscientias.

Suo se gladio iugulat.

Audis iustissimam profectò quærelam, & verbi Dei ministro vtique dignissimam. nequaquam ego ex ore seditionum ministri tantum expectâssem vnquā. At putat ineptus se pro sua in Catholicos Principes rebellione egregiè certare: verùm quàm fallitur non est explicatu difficile. Quæro igitur, quos Principes intelligit iste vir bonus? an vllos Catholicos? Ducésne aliquos? an Reges? annè ipsum Cæsarem? horum nullum profectò potest, nisi plenis buccis & impudentissimè quidem mentiatur. Siquidem horum neminem ostendet vnquam suos limites hîc transgressum, & præter iurisdictionem sibi à Deo datam, in animas hominum & conscientias vllum dominium, aut exercuisse aliquādo, aut iam exercere. Nam, si qui hanc tyrannicam impietatem sibi vnquā̃m vsurpauerint, ipsi statim, sese Catholicorum Principum, populique communioni subduxisse, eo ipso facto declarârunt; cuiusmodi olim erant Constantius & Valens, Arrianismi propugnatores, Iulianus quoque Apostata, paganismi instaurator, Alphonsus, Arragonum Rex, VValdensium Patronus, & qui nostro seculo, inaudita temeritate primus se Ecclesiæ apud suos caput, etiam in spiritualibus constituit, Heinricus Anglus, eius nomine octauus. Sic & quotquot Reges, Principes & Magistratus, sectis nostri seculi sese subdidêre, & Catholicos subditos in suam impietatem tyrannide vlla pertrahere conantur. Eiusmodi enim homines, quasi dij quidam sedes sibi constituêre, volunt in cordibus hominum, dum in exitiales errores, pro religionis veritate, iniquissimo quidem imperio inuitos fideles protrudunt. hi sunt profectò illi, quos non iniuria quis dixerit dominari velle in animas & conscientias hominum; non ij, qui iuxta sacras literas, sanctásque maiorum leges olim damnatas hæreses, sed nunc denuo è tartaro flagitiosissimorum hominum ministerio reuocatas, rursus quo emissæ sunt, suo sceptro reiiciunt, relegant, retrudunt. At obiicies fortassis, eos, quos ego Catholicos Principes esse censeo, potentiores nimirum Europæ Reges, primorésque alios, atque Cæsarem ipsum, timore multo atque indictis pœnis suos cogere subditos, nonnunquam reluctantes in Catholica, dum ad Sectariorum partes declinare student, religione permanere. Et meritò sanè; nec ratio obscura est, cùm id à piis Principibus fieri postulat lex & diuina & humana. Humana quidē, quæ fidem, vel homini datam, publica, si opus sit, autoritate imperante, seruari iubet: quanto verò magis omnium

Solos sectarum Principes dominari velle in conscientias hominum.

Exempla.

Catholicos Principes rectè cogere suos subditos, vt in vera religione, quā fuerāt semel professi, persistant: idque multis rationibus.

omnium æquisſimo iudici Deo? Diuina verò, quæ Reges & alios Principes nutritios & defenſores conſtituit Eccleſiæ: diuina, quæ & præcepit proximum diligere. Quomodo autem quis diligat proximum, qui illum videns furia phreneſique correptum, violentasque manus ſibi ipſi iniicientem, non vinculis illum ligari cupiat, aut ſi poſsit non curet? aut ſi per præcipitium, illum ſe deturbantem, aut in ardentem ignem coniicientem viderit, non inde ereptum cupiat, & curet quoque maximè, ſi habeat illius curam à Deo ſibi demādatam? At quæ furia dirior, aut grauior phreneſi? aut magis præceps exitium, aut voracior ignis, quàm eſt vna hæreſis, quæ totum hominem adeò dementat in tot præcipitiā, per ſaxa, per ignes rapit, in tot pericula bonorum atque honorum corporis & animæ, contra leges, Reges, Dei Sacerdotes, contra Eccleſiam quoque, contra Chriſtum denique & Deum Patrem, in totius Reip. exterminium excitat, inducit, impellit? & aduersùs tam immanem peſtem, florem & decus Reip. protinus depaſcentem, nihil antidoti adhibebit Pater patriæ ſapiens & bonus Princeps? Sed relinquenda eſt, inquies, ſubditis libertas conſcientiæ, & ſolo Dei verbo contra eos agendum, donec in meſſe ſeparentur zizania à tritico. Solus enim Deus, vt ais, habet dominium in hominum animas.. An ſolo Dei verbo, hoc eſt, vt tu intelligis, ſola Dei verbi prædicatione, aut legum demonſtratione, contra conuictos furti, adulterij, latrocinij, aut læſę maieſtatis agendum? Nequaquam, opinor, dices. At hæc omnia ſcelera in vnum congeſta, adque vnum hæreſeos crimen collata, ſi ſalutem tantùm Reipub. (quam Principum proprium munus eſt in pia tranquillitate tueri) ſpectes, ludus ſunt & iocus: vt teſtatur triſtiſsima facies Rerumpub. olim florentiſsimarum, quas hoc monſtrum noſtra ætate, proch dolor, inuaſit. Quoties itaque Catholici Principes, Reges, & ipſe clementiſsimus Cæſar, legibus & ſeuerioribus pœnis indictis atq; aliis, quibus poſſunt, iure modis, ſubditos ſuos in cōfeſsione orthodoxę & Catholicę religionis continere ſtudent, nō ipſi Dei loco, vt iſti blaterant, in animas hominum dominantur, eorumq; conſcientias excarnificāt: ſed à dominio potius Diaboli, & ipſius laqueis (quibus ſe quidam vltrò implicādos in rectæ conſcientiæ ruinam, horrendamq; ſeruitutem offerunt) alios munire; alios verò inde, quaſi ex igni rapere, vt ſuadet Apoſtol⁹, tam rectè prudenter atque piè ſtudent, vt, ſi id non ſtuderent, meritò cum

Iſa. 49. c.

Quàm ingen[illegible] malum ſit vna hæreſis.

Si libertas con[illegible] ſcientiæ (qua[illegible] vocant) ſeruit[illegible] grauiſsima no[illegible] ſit permitten[illegible] adulteris, latro[illegible] nibus, re[illegible] læſ[illegible] maieſt. [illegible] qu[illegible] to minus hære[illegible] ticis.

Quare sectarum Principes nō ea valent autoritate in suos subditos, siue Catholicos, siue sectam aliquam professos, qua in suos valēt Catholici?

errantium scelere participare viderentur. Quòd verò Principes & Magistratus apud Sectarios parem autoritatem in Catholicos iure nullo exercere valeant, luce clarius est; cùm, vel Aduersario teste, nemo ad religionem cogatur: atque ideo illum nemo, ob non susceptam religionem, aut non datam fidem, iustè punire valeat; alioqui qua ratione, obsecro, non bonis potius exuerent, & morte denique mulctarent Christiani vbique obstinatum Iudæum, Machumeticum, Turcam, aut infidelem Paganum, à sancta nostra religione plane abhorrentem, quàm Christianum in aliquam hæresim pertinaciter delapsum? Cùm igitur Catholici aliam religionem aut fidem minimè profiteantur, quàm eam, vnde nomen fœliciter habent, & sanctè retinent; qui vi vlla, carcere, exilio aut bonorum direptione illos premunt, propterea quòd non amplectātur nouam aliquam, aut incognitam ab eis religionis formam, rectè in ipsorum animas crudeli tyrannide dominari censentur. Quamuis candidus iste Censor in derogandam orthodoxis Principibus autoritatem, iis, quæ suprà citauimus, statim subnectit: *Ita vt nemo*, inquit, *hominum, quicunque is fuerit, sed solus Deus omnipotens super animam potestatem habeat*. Itáne vir bone? Quid igitur sibi vult Apostolus, dum scribit; Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit? & si hoc videtur tibi aliò transferri posse: quid vult ille, dum alio loco docet, nos subiici debere Præpositis nostris? de qua re, & rationem reddit. Ipsi enim, ait, peruigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris, an rationem reddent de re non sibi commissa, neque vlla potestate subiecta? Quid & illo loco, vbi de obedientia à nobis Principibus seculi præstanda, & de subiectione nostri, docet his verbis? Ideoque & necessitate subditi estote; non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam? Videtur autem hîc hominis conscientia talis esse, qualis traditur esse libertinorum: qui illæsa cōscientia, quidlibet, credere, fingere, perpetrare sibi se posse persuadent, modò id aut lateat homines, aut quod ipsi improbè moliuntur, promouere possint; de præsentia diuinæ maiestatis nihil soliciti, aut de sui apud bonos existimatione minimum quidem.

An Deus sibi soli potestatem in hominum conscientias reseruauit.

Rom. 13. a.
Hebr. 13. c.

Rom. 13. b.

Libertinorum conscientia.

Iuramētum, nisi sit licitum, non obligare.

Cæterum hîc quæri potest, iuréne valeat aliquis Sectariorum Princeps aut Magistratus suos subditos aut ciues, qui abdicata orthodoxa fide, suæ factioni & partibus iureiurando etiam præstito obstrinxêre, & posteà pœnitudine ducti ad Catholicam redeunt,

deunt, tam seuerè per suas priuatas leges castigare, quàm Catholici Principes per publicas possunt suas, si à Catholica fide ad sectas deficiant? Quisquis intelligit iuramentum, vel contra publicas leges, & multò minùs contra diuinas factum, nihil omnino (tametsi iurans non leuiter interim peccat) obligare, facilè hunc modum soluit. Porrò dexterè magis soluet, si intelligat, Principes non plus potestatis in fideles subditos habere in negotio religionis, quàm habebant olim Apostoli. è quibus Doctor ille gentium scribit: Non enim possumus aliquid aduersùs veritatem, sed pro veritate. Veritatem autem, de qua nunc controuertitur, professi sunt pleriq; subditi, ad lauacrum regenerationis, cùm interrogati, an crederent sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorũ communionem? dum priùs responderat vnusquisque eorum, sponsore fidei verbum proferente: Credo, quàm vllus eorum de F. Luthero, aut Caluino quicquam audierit. Aduersùs fidem igitur Ecclesiæ Catholicæ nullo iureiurando, nullo hominum, aut Angelorum imperio, tenentur insurgere, sed econtrario firmiter eam credere & omnibus, & animæ & corporis neruis aduersùs & hominum & malorum spirituum insultus pro sua virili tueri. Quod autem dico de iis, qui in pertinaci errore post baptismum apud Catholicos susceptum, quoquo modo detinentur; idem omni asseueratione confirmo de iis, qui apud sectarios extra Ecclesiæ vnitatem, posterioribus annis baptismo sunt tincti. Nam neque hi Confessionistarum, Euangelicorum, Protestantium aut Sacramentariorum, sed Ecclesiæ sanctæ Catholicæ & Apostolicæ, (quam ad maiorem explicationem iam Romanam vbique dicimus) vnam fidem, dum baptizantur, profiteri solent.

Non plus iam posse Principes in negotio religionis, quàm olim Apostoli.

2 Cor. 13. c.

Veritas orthodoxa & Catholica quænam sit, constat ex cæremoniis baptismi.

Ab ea nemo citra naufragium salutis declinat.

Sed pergo ad reliquum hominis contra Catholicos Principes subdolum artificium; cuiusmodi tamen omne non in Catholicos, sed in eos rectè verti & potest & debet Principes, quos isti noui rerum moderatores, suis nescio veneficiis potiùs, quàm blandis sermonibus in suam nassam sibi *(ô me miserum)* pertraxêre. *Quando igitur*, ait, *hoc pacto Principes præscriptos sibi terminos transgrediuntur, tunc minatur illis Deus, se cumulatè iram suam super illos effusurum, ita vt acres pœnas sint daturi. Sed quando Dominus ita Principes*, inquit, *puniet, numquid subditi liberi erunt à pœna soluenda? numquid solus Imperator cogetur reddere rationem? Minimè*, ait, *& quare te oro*, magne Christiani orbis Magister? *Adiungit enim* (subdis) *Propheta*

Agit imprudens in suos.

hic Ephraim, qui significat vulgus, laicos & subditos. hic etenim vim patietur & affligetur. Hoc est, illum quoq; ira diuina tanget, & hoc iustè (nunc audiet Christianus lector, vnde istæ fictæ lachrimæ, vnde & gemitus) *quia humanis*, ait, *innixi preceptis & traditionibus, cùm potiùs diuinis mandatis & nequaquam hominibus, quibuscunque inniti debuissent.*

Iustitia magna simul & impietas cum nomine humanarum traditionum explodunt diuinitus tradita.

Nemo ignorat communem omnibus omniũ sectarum hac tempestate ministris cantionem esse, vt quicquid hactenus docuit vniuersa Dei Ecclesia, quod ipsi tamen obscuro naturæ lumine concipere nequeũt, siue sit illud sacris literis explicatum, siue ab Apostolis, siue ab Ecclesia deinde vtilissimè traditum, nomine humanæ traditionis rideant, exibilent, condemnent. Sed quàm tortuosus hic incautis, quamque atrox atque pestilens latet anguis in herba, nemo est, qui vel sacras literas, vel œcumenica Cõcilia, vel Patrum scripta extremis saltem labris degustauerit, aut de praxi consuetudineque, atque consensione vniuersę Dei Ecclesię, quicquam didicerit, nisi sit idem miserè spiritu Dei plane destitutus (cuiusmodi sunt omnes dubio procul extra dominici ouilis septa constituti) ignorare potest. In quo quidem argumento, cùm tot, cùm solidæ eruditionis, tùm veræ pietatis laude conspicui viri, vtilissimè profectò ad propugnandam sanctæ nostræ religionis integritatem, aduersùs impiam audacissimorum hominum nequitiam hac nostra ætate desudauerint; idque alij ex professo, & obiter quasi aliud agentes alij, non est quod ego hic multis agam, ne fortè actum agere, quod dicitur, ineptè videri velim.

De traditionib9.

Vnum hoc loco tamen non dicere non possum, propter traditiones nimirum friuolas, superstitiosas, vel Dei verbo repugnantes, quas Dominus in Pharisæis, & Apostolis in Pseudoprophetis, vel sancti Patres in moribus Christianorum merito reprehenderunt, non posse damnari traditiones, quas illi omnes vno ore nobis summopere commendârunt. Contra Pharisæos, Dei verbum lucri causa adulterantes intonat, Dominus ipse dicens: Irritum fecistis mandatum Dei, vt traditionem vestram seruetis. Et iterum: Rescindentes verbum Dei per traditionem vestrã, quam tradidistis, & similia multa, inquit, facitis. Sic Apostolus ipse contra Pseudoapostolos, qui licet coruscante Euangelio, typicas ipsas Iudæorum cæremonias, quæ Euangelicam lucem prænunciabant, retinendas in Ecclesia esse docuerunt, suos Colossenses munit: Si mortui estis cum Christo, ab elementis huius mundi,

Matth. 15. a. Marc. 7 b.

mundi, quid adhuc tanquam viuentes in mundo decernitis? Ne tetigeris, neque gustaueris, neque contrectaueris, quæ sunt omnia in interitu, ipso vsu, secundùm præcepta & doctrinam hominum. Sed quorum te rogito hominum? an eorum, quos Dominus vt se ipsum audire iubet, Ecclesiarum Rectorũ? an doctrinas Principum & legitimi Magistratus? Minimè profectò: sed hominum tatendentium Iudaicis, aut hæreticorũ fabulis: & mandata hominum auersantiũ veritatem, siue vt noster interpres habet, se à veritate: vt & alio loco aduersùs eos, qui nuptias & quosdã cibos vtillicitos damnabant, se explicat Apostolus. Ita denique & Patres apertè satis docent, traditiones aduersùs veritatem nulla ratione seruari debere, imò & alias his affines, omnes siue inutiles, siue onerosas, vbi sine scandalo id commodè fieri posſit, resciſſas quãprimùm cupiunt; Admonent tamen prudenter, vt, qui id faciat, adhibeat primùm cautiones, ne consuetudinis mutatio, quæ vtilitate adiuuat, nouitate perturbet. Luc. 10. e. Tit. 1. d. 1. Timoth. 4. a. 2. Timoth. 2. Aug. ad Ian.

Quanta sit traditionis autoritas. Hæc tametsi vera sinceráque sunt, an propterea continuò sequitur, omne genus traditionum condemnendum & auersandum esse? hoc profectò nihil aliud esset, quàm cùm scriptura nos doceat, cauere nobis à fermento Pharisæorum, vt caueamus etiam à fermento illo, cui aſsimulatur regnum cœlorum: & cùm moneamur, fugere à superstitione, fugiamus etiam à religione: & breuiter, cùm vitare doceamur Pseudoapostolos & Pseudoprophetas, vitemus pariter Apostolos ipsos & veros Prophetas, veros inquã Apostolorum & Euangelistarum interpretes purioris illius primæuæ Ecclesiæ, idque semper, dum in vnum conspirant Patres & eorum sequaces. Tanta enim valet autoritate in negotio religionis traditio, vt si primum locum (qui iure tribuitur spiritui sancto, nobis per Ecclesiam & scripturas loquenti) non obtinet, obtinet facilè secundũ. Nam & ipsius S. Scripturæ autoritas, nonnunquã & sensus, sicut & mens ipsius Ecclesiæ, non aliunde magis nobis quàm traditione innotescit & confirmatur. Rectè igitur D. Cyprianus ipsius Domini doctrinam Euangelicam traditionem appellat. Prouidè & D. Paulus nos hortatur stare & tenere traditiones, siue per ipsius sermonem, siue per Epistolam à nobis acceptas: traditionis quippe vocabulo appellans, & quæ scripserat, & quæ viua voce docuerat. Quòd verò, quædã sermone tradiderit, quæ minimè suis epistolis consignauerat, clariſsimum est, contra infa- Epist. 3. ad Cæcilium. 2. Theſſ. 2. d. Traditio est etiam ipsa sacra scriptura.

inſanos nouatorum clamores, ex eo loco, quo promittit ſe plura de myſteriis Euchariſtiæ diſpoſiturũ, quàm ſcriptis alicubi deinde mandauerat: Cętera, inquiens, cùm venero diſponam. Clarum eſt prętereà contra eoſdem, & ex inſtinctu naturæ, & ex conſuetudine Eccleſiæ, de iis, quæ ad politiam, ordinem, ritus & cæremonias attinent, rectè nos, Doctore Apoſtolo, argumentari poſſe & confirmare. Taceo, quòd D. Lucas ſuum Euangelium ſe ſcripſiſſe teſtetur, non ſicut ipſe à Domino præſens didicerat, ſed ſicut ſibi tradiderunt alij, qui ab initio ipſi viderant, & miniſtri fuerant ſermonis. Quod verò ſpectat ad ea, quæ circa religionem, vel toto Chriſtiano orbe, vel apud aliquot certè prouincias vtiliter ſeruãtur, quis pacificus Dei filius, iſtis potiùs nouatoribus, quàm Dei Eccleſiæ & eius ſententiam explicanti, vni Auguſtino, tametſi nullus alius de his rebus verba faceret, fidem habebit? de primo genere is ita docet; Illa autem inquit, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodiant, quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima autoritas commendata atque ſtatuta retineri: ſicuti quòd Domini paſsio & reſurrectio, & aſcenſio in cœlum, & aduentus de cœlo ſpiritus ſancti, anniuerſaria ſolennitate celebrantur. Addit ibidem de ſumptione Euchariſtiæ hæc. Ex hoc enim placuit Spiritui ſancto, ait, vt in honorẽ tanti Sacramẽti in os Chriſtiani priùs Dominicũ corpus intraret, quàm cæteri cibi. An hæc & eiuſmodi dicemus humanas traditiones, adinuentiones, mãdata vel inſtituta: an potiùs de illo genere rerũ eſſe, de quibus ita definiêrunt Apoſtoli: Viſũ eſt Spiritui ſancto & nobis? Audis ſanctiſsimũ Patrem attribuere ea palàm Spiritui ſancto. Qui Spiritu autem Bacchi, aut Eumenidum veriùs agitantur, ſentient tandem, qui hæc aliò referũt. Certum eſt hæc & eiuſmodi omnia à Sacramentariis, vt ſuo loco dicemus, vel impietati illi, quàm vt papiſticam doctrinam, vel vt idololatriam damnant, impudentia plus quàm meretricea attribui. De altero autem genere ſic ſcribit idem grauiſsimus autor. Quod neque contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum intra quos viuitur ſocietate, ſeruandum eſt. Quas igitur narrat nobis pius iſte orbis reformator humanas traditiones, humana præcepta, propter quæ ait Principes & ſubditos puniendos? Nam nihil horum, quæ iam recenſuimus, vlla labe notari poteſt;

Probatur D. Paulum plura docuiſſe, quàm alicubi ſcripſerat.

1. Cor. 11. 9.

Ex iure naturali ſicut ex Dei verbo, probatur traditio.

Ibidem. c.

Luc. 1. a.

Traditiones quædam toto orbe Chriſtiano ſeruatæ, quam vim habent.

Ad Ianu. Epiſt. 118.

Exempla. Addere potuit & celebrationẽ diei Dominici.

A ieiunis ſummi Euchariſtiã debere doctrina, eſt Spiritus ſancti.

Traditiones aliæ etiam bonæ.

test; sed est id omne non tantùm à pœna liberum, sed & magna laude dignum. Sunt igitur & alia mandata hominum ponderanda: atque id breuiter, ne in re manifesta simus loquaciores. Affirmamus igitur, nulla hominum mãdata, quatenus hominum sunt: maximè autem eorum, quibus ex iniuncto munere & vitæ statu aliis mandare licet, esse vituperanda: sed ita demum vituperanda, si cum ratione, æquitate, aut diuina lege sint pugnantia. Quisquis profectò natura bene informatus est, superiori suo (cuiusmodi est Princeps, parens, præceptor, aut Dominus) rectè præcipienti, aut morienti, non illibenter paret; multò tamen magis, qui ex diuina lege didicit, se hoc debere. Non enim ita ignorare potest, se propter voluntariam sui subiectionem, si propter Deum præcipientem maximè id præstet, mercede sua, defraudandum esse. Et contra, si quis hîc inobediens fuerit, accipiet iustam contumaciæ suæ retributionem: at is tamen potissimùm, qui diuinæ ordinationi in legitima potestate resistit. Olim autem non solùm veterem illum Hebræorum populum, sed & gentiles natura nondum prorsus vitiata, satis instítutos comperimus, primoribus suis longè magis fuisse morigeros, quàm sunt nouelli isti Magistri, aut ipsorum discipuli. Constat enim, quòd Sauli indicenti publicum, exercitui suo, ad vesperam ieiunium nemo restiterit; nemo quæstionem mouerit, potuissetné rectè sua autoritate per tam duram legem populo in summis angustiis constituto præscribere: sed statim & constanter, licet non sine corporum molestia, omnes, qui audierant, ad præscriptum tempus obediebant. Obedierunt Rechabitæ voci Ionadab patris sui mandantis, de non ædificanda sibi domo, de non serendo semento, deque non plantanda vinea. Sciuerunt probè sibi mandatum esse, à Deo vt audirent & honorarent patrem, atque ideo nequaquam curiosius inquisierunt mandati circumstantias, sed bona fide statim sunt ipsum amplexi. Quid quòd Regina Vasthi, eò quòd suo Regi licet ineptum quid, & reprehensione dignum præcipienti, non statim morem gesserit, à Principibus digna fuerit iudicata, vt regno deiiceretur, ipsique altera melior succederet. Et vt sim breuis, obedierunt statim Niniuitæ suo Regi præcipienti, vt cum hominibus iumenta, boues & pecora ieiunarent; ita vt nihil omninò gustarent, neque pabuli, neque aquæ. Nisi fallor, si affuissent tunc aliqui ministrorum spiritu imbuti, statim obiecissent Regi, iumentorum saltem mace-

Nulla mandata, quatenus hominum sunt, mala esse.

1. Reg. 14. d.

Ierem. 35. a. b.

Esther. 1. c. d.

Ion. 3. c.

rationem fuisse vanam, si non superstitiosam, & Deo, cui cura de bobus in eiusmodi rebus nō esset, parum gratum; Sed longè aliud se prodit corruptissimum hoc nostrum seculum, quod pro morigeris, mansuetis & modestis, infelicissimam segetem produxit, immorigeros, superbos, proteruos, tumidos, sui ipsorum atque voluptatum magis quàm Dei amantes, atque ideo parentibus inobedientes, necnon & in Principes, & in omnes veteres & nouas, iusta autoritate latas leges rebelles: in hoc tamen pestilentissimos, quòd ad omnem impietatem promouendam habeant & prætexant speciem quandam pietatis, intonantes verbum Dei: verbum Dei; cùm tantum absit, vt Deus per eos loquatur, vt inimicus homo planè in illorum corde, ore & opere, regnare videatur; quòd tanta animorum contentione, tamque aperta pertinacia, tot schismata, errores & sectas, contra veterem illam & puriorem (quam vocant) Christi Ecclesiam, contra omnes Ecclesiasticas & Cæsareas leges tam callidè, sollicitè, & obstinatè excogitent, foueant, defendant.

Leges malorum nostri seculi.

2. Timoth. 3. a.

Inter alia sua præclara dogmata tandem legem tulêre, qua omnis lex non Ecclesiastica modò, sed & Cæsarea, & quæcunque alia politica rescindatur, & quasi flammis deuorata prorsus intereat. Cùm Cæsari præscribunt, vt subiectum sibi populum, non secundùm id, quod per communes leges iustum inuenitur, sed secundùm Dei verbum iudicet: Atque id quidem secundùm suam ipsorum sapientiam, qua & Deo & hominibus soli imperare student, si voti sui essent compotes, prudentissimè. Inde enim fieret, vt & seuerissimas pœnas per Cæsareas etiam leges hæreticis inflictas effugerent, & ipsi denique soli de omnibus rebus humanis & diuinis iudicium ferrent; vtpote, qui sibi solis verum & genuinum verbi Dei sensum & interpretationem arrogant. At rebus ita hoc nouo imperio constitutis, oro (vt vno verbo rem maximam absoluam) quonam Dei verbo ostenderent hoc esse meum, illud tuum: hoc esse priuatum, illud publicum, hoc esse paucorum, illud verò multorum, non tamē omnium? sed comprehensus est iste sapiens in astutia sua, & deprehenditur, neq; sapiens, neq; astutus esse: sed insipientissimus: quippe qui tot sapientum legislatorū prudentiæ detrahit; deinde & temerarius & infelix, q seipsum ipso suo iudicio in magnas miserias iam statim coniiciet. Statuit hîc omnium legū sicarius, nequaquam esse indubitatæ autoritatis Cæsareas leges

Noua ministrorum lex, qua omnes leges abrogentur.

Ministrorū prudentia, qua moliuntur longè superare prudentiam omnium aliorum filiorū huius seculi.

August. tract. 6. in Io.

Legum sicarius.

&

& multò minùs, vt ipse somniat, Ecclesiasticas & Canonicas. Nam, si putâsset esse alias, per eas suaderet Principi iudicare, non per Dei verbum & scripturas tantùm immediatè: quod munus scire debuerat, esse Sacerdotum proprium. Quòd ita statuat, nemo miretur: cùm idipsum libentissimè statuerēt, si crederent se audiendos esse, quicunque homicidio, adulterio, latrocinio, parricidio aut sacrilegio sunt conuicti. Ita enim se sperarent à suppliciis, quæ merentur liberos futuros. Verùm cùm hi nullo tali mentis delirio, sibi à tormentis fugam polliceantur: qua impudentia poterunt, vel illi, nisi ea, qua putant sibi quicquid libet, licere sibi quid tale promittere? Sed aduersùs illos forsan nihil præscribunt leges. Audiant igitur è plurimis paucula quædam. Primùm, Iustinianus Imperator agnoscit, quod isti non ignorare volunt, esse quidem in Ecclesia Sacerdotium & imperium, & inter illius & huius munus multum interesse; dum his verbis id explicat. Maxima, inquit, in omnibus sunt dona Dei, à suprema collata clementia, Sacerdotium & Imperium, illud quidem diuinis ministrans, hoc autem humanis præsidens ac diligentiam exhibens; ex vno eodemque principio vtraque præcedentia humanam exornant vitam. Ecce, vt agnoscit Sacerdotium, ita agnoscit & illud, quod alio loco lege traditur. Quilibet namque curare debet id, quod sui, non quod alieni iuris est. Et si vis clariùs scire ius [a] Principis, idem Imperator te docet, dum scribit, [b] Princeps æqualitatis & iustitiæ autor esse debet, & idem alio loco: Princeps dona Dei, quæ circa Rempub. accepit, conseruare debet, ab omni necessitate flagitiorum. Agnoscit se nutricium & patronum Ecclesiæ esse, & suas leges omnes ad honorem Ecclesiæ Catholicæ cōstitui debere, dum scribit. [c] Omnia, quæ pro honore Ecclesiæ sanctæ Catholicæ, ad Dei placitum fieri possunt, ea legibus constituere & operibus adimplere magno desiderio debet Princeps. Et rursus, Princeps magnam adhibere debet solicitudinem, circa vera Dei dogmata & Sacerdotum honestatem. [d] Vsqueadeo, vt interim non minor cura sit Principi eorum, quæ sanctissimis Ecclesiis prosunt, quàm ipsius animæ. Neque putauit interim (quod suprà iam negauit) se diuinis ministrare debere, sed potiùs palam affirmare se, quod alio loco tradit. [e] Imperatorem non debere se immiscere Iurisdictioni spirituali. Ad quid enim se pro Deo (vt in eum locum notatur) intromiscet spiritualibus vel Ecclesiasticis, cùm sciat ad se non

Lex, de qua prinunquam poterāt malefici somniare.

Priscorum leges aduersùs hæreses nostri potissimùm seculi.

In Præfat. Authen. oport. Episcop. & cæt. cleric. ad ordinationem produci.

Sacerdotium & Imperium diuersa Dei dona

In l. Quicunque C. de executorib. lib. 12.

a In Autheu de non eligen. se. cu. nub. mulie. illud quoque Col. 1.

b In Authen. de l. non circ. fi. l. §. Col. 3.

Princeps Patronus Catholicæ Ecclesiæ.

c In l. Deo nobis, C de Episcop. & Cler.

d In Authu. vt determ. sit mini. cleric. & cæt. in fine.

Non immiscet se iurisdictioni spirituali.

e In Authu. quō. oport. Episcop. & cæt.

pertinere? Et si placet hoc ipsum, clariùs ex Theodosiano codice, ex lege pientißimorum Principum, Arcadij & Honorij, audire, sic accipe ad verbum. [a] Quoties, inquiunt, de religione agitur, Episcopos conuenit iudicare; Cæteras verò causas, quæ ad ordinarios cognitores, vel ad vsum publici iuris pertinēt, legibus oportet audire; Audísne imperio se rerum deformator, Episcopi & imperatoris munera legum etiam autoritate, contra impudentißimam tuam audaciam, disertè distincta esse? Sed tu quæcunq; veneranda antiquitas, vel sancta Patrum definiuit autoritas, conuellere & in contemptum trahere vnicè studes. Sed istum tibi fastum extinguere debet eiusdem Honorij & optimi Theodosij verè sacra maiestas; qui aperto marte tibi grauißimo hoc tuo occurrunt. Ea, quæ circa Catholicam fidem, vel ordinauit antiquitas, vel parentum nostrorum autoritas religiosa constituit, nouella superstitione remota, integra & inuiolata custodiri præcipimus.

a L. 1. c. Theod. tit. de relig. lib. 16.

Quæ ordinauit circa fidem antiquitas, seruanda esse.

Li. 2. ca. Theod. eod. tit.

At tu, quænam sunt ista, quæris? Ea profectò ferè omnia, propter quæ, tu bellum improbißimè & impiè aduersùs Catholicos Principes, in negocio religiōis, excitare studes. Decernūt enim in primis, vt sublimia fidei nostræ mysteria & cætera, quæ ad religionem spectant, non tuo, huius, aut illius ingenio & sensu, ex solis scripturis pessimè sæpius detortis; sed secundùm Patrum doctrinam & traditionem intelligantur: Ita enim Pius Iustinianus Imperator contra Nestorium, Nos Christum, inquit, confitemur sanctorum Patrum (in Ephesino nimirum Concilio congregatorum) doctrinam sequentes. Statuunt præterea nō licere de rebus, semel in œcumenicis maximè Conciliis definitis, deinceps quæstionem mouere. Cuius rei Imperator Martianus, in laudem & defensionem magni illius Chalcedonensis Concilij, prudenter quidem & piè rationem reddit, his verbis: Iniuriam facit iudicio reuerendißimæ Synodi, si quis semel iudicata ac rectè disposita reuoluere & publicè disputare contenderit: cùm ea, quæ nunc de Christiana fide, à Sacerdotibus, qui Chalcedone conuenerunt, per nostra præcepta statuta sunt, iuxta Apostolicas expositiones & instituta sanctorum Patrum trecentorum decem & octo in Nicæa, & centum & octoginta in hac regia vrbe (Constantinopolitana) definita esse noscantur. Nam in contemptores huius legis pœna non deerit; quia non solùm contra fidem verè expositam ve-

Li. 2. ca. Theod. eod. tit. Mysteria religionis secundū traditionem Patrū intelligenda.

In edicto Iustin. ad Io. Pōtificem misso.

Non licere de rebus religionis, semel ab Ecclesia definitis, rursus quæstionem mouere.

L. nemo clericus C. de sum. Trin. & fid. Cath.

niunt; sed etiam Iudæis & Paganis ex huiusmodi certamine profanant veneranda mysteria.

Sed dices forsan, ista nihil contra te facere, qui impurissimos illos, Arium, Macedonium, Eutichem, & Nestorium, primis illis 4. magnis Conciliis rectè damnatos, nobiscum detestaris. vtinam istud ex animo & verè diceres. Ita enim cætera omnia ab eisdem sanctissimis & eruditissimis Patribus, tunc definita, vel declarata Catholico spiritu nobiscum pariter amplectereris; neque contemnens hæc (quòd nullus eorum hæreticorum fecisse vnquam legitur) cum aliis tuis assectis noui istius Cacangelij ministris aperires posteris fenestram, qua & teterrimos illorum pestilentissimorum hominum errores è tenebris in lucem reuocent. Nam quis, oro, nisi stupidus prorsus & insulsus sibi persuadeat, Patres illos circa sublimia illa & ineffabilia sanctissimæ Trinitatis & Dominicæ incarnationis mysteria rectè sensisse, & interea temporis circa res alias, aut non dissimilis, aut minoris momenti turpiter errâsse; quasi ex eodem ore frigidum & calidum exhalantes, ex eodem fonte dulcem & amaram aquam haurientes?

In quibus aberrant nouatores à primariis Conciliis Nicæno 1. Ephesino, & Chalcedonensi.

Cruentam fenestram aperiunt ad reuocandas veteres omnes hæreses.

Vis vt harum rerum tibi proponam exempla? In primis tradunt Nicenum Concilium, non tantùm contra Arij blasphemias, sed vt inter Catholicos conueniret, vt vniformiter eodem vbique terrarum die festum Paschæ celebraretur, conuocatum fuisse. Nam de hac cæremonia, quæ fidei vnitatem non dissuerat, tam acris tamq; diuturna concertatio inter Catholicos fuit, qua maior, aut pertinacior de re vlla alia extitisse non traditur. Quid verò nunc Caluinistæ? eximunt se hîc à studio partium, & à Catholicorum omnium (qui vnum aut alterum diem Paschæ quotannis vbique semper seruabant) se planè communione separant, qui nullam eiusmodi diem agnoscendum esse docent. & rectè quidem, si rectum fuisset fuudamentum, quod à falso F. Luthero accepêre: nihil quippe credendum, nihil circa Dei cultum faciendum, quod expressis scripturæ voculis non exprimitur. Sed pergo: Idem sacrosanctum Concilium Can. 4. docet, Episcopum debere (si fieri posset) ab omnibus, qui sunt in prouincia, vel saltem à tribus (vt ab eo tempore semper solitum est, in Ecclesia fieri) in vnū congregatis Episcopis ordinari, & à Metripolitano denique confirmari. At verò, cùm sine Episcopi autoritate nihil in Ecclesia rectè geri posset, consectaneum est, eos, qui nullum Episcopum habent

Eusebius in vita Constant lib. 3. ca. 13 & 17.

Caluinici separant se à communione fidelium, dum non agnoscunt Paschæ diem.

Ex fundamento falso, quod tradidit falsus F. L. illud colligunt.

Nouatores non habere Episcopos, neq; Presbyteros: ac ꝓpterea nihil sacrorū rectè administrati

habent, nec Presbyteros (qui secundum locum in Ecclesiastica gubernatione tenent) ab Episcopis creatos, nihil habere ordinatè administratum: non doctrinam, etiam si ab omni errore libera foret, neque vlla sacramenta legitimè saltem tradita. Eiusmodi sunt vbique ferè sectarij omnes huius seculi, qui pro Episcopis & Presbyteris, quos Spiritus sanctus, secundùm Apostolicam doctrinam, Ecclesiis præfecit, substituerunt, sibi in tanti Concilij, vniuersæque Ecclesię, atque etiam Apostolicæ doctrinæ contemptum famulos, ministellos vtique & Superintendentes, quos dicunt, à solo Apostata primùm Monacho Luthero, aut ab hominibus laicis profano more vocatos. Et Can. 5. Agnoscit Quadragesimam; ante quam prouinciales Synodos in singulis prouinciis celebrari suadet: & causam optimam subdit, vt omnibus, inquit, si quæ sunt, simultatibus amputatis, mundum & solenne Deo munus posſit offerri. Ecquod quæso te mundum munus? quod aliud quàm oblatio illa munda, quam Spiritus sanctus prædixerat per os Malachię, tempore nouæ legis in omni loco Domino offerendam: quam iam sacrosanctum Missæ sacrificium dicimus? quæ post quadragesimam maximè solenniter, sacro Paschæ tempore, semper offerri consueuit? Si negas tuo more, sanctam Synodum hanc oblationem aliquando agnouisse, ipsa per se nobis tacentibus, si non te mendacij, crasſi tamen erroris conuincit, quæ Can. 14. inter alia, de hoc singulari sacrificio hæc habet: *Hoc neque regula, neque consuetudo tradidit, vt, qui offerendi sacrificij non habent potestatem his, qui offerunt, Christi corpus porrigant.* Loquuntur venerandi Patres de Diaconis & Sacerdotibus, siue Presbyteris: è quibus illos testatur non habere; hos autem potestatem habere offerendi sacrificium, in quo corpus Domini conficitur & porrigitur. Nam, si non conficeretur Sacerdotis ore & ministerio, qui solus eius rei habet potestatem, porrigi nemini posset. Sed quod est sacrificium secũdùm communẽ omnium sectariorum doctrinam, quod à solo Sacerdote, & non à Diacono, aut quouis etiam laico, imò à muliere, Deo offerri nequeat? Nullũ profectò est. Huc accedit, quòd Patres magnæ Synodi Ephesinæ clariùs multò & de hoc sacrificio, & de veritate in eo corporis Domini docẽt, dũ scribunt in hæc verba. Sanctum ac viuificum & incruentum in Ecclesiis operamur sacrificium, non vnius, qui sicut nos & communis hominis corpus esse credentes, quod proponitur: similiter & venerabilem

[Margin notes: Nic. Conc. agnouit quadragesimam. — Agnouit & sacrosancti Missæ sacrificium. — Nullum apud sectarios sacrificiũ, quod non à muliere posset rectè offerri. — In Epist. ad Nestorium.]

rabilem

rabilem sanguinem, sed accipientes magis et factum proprium corpus & etiam sanguinem omnipotentis verbi; communis enim caro viuificare nequit. Oro atque obsecro per ὁμοούσιον æterno Patri verbum, perque viuificam carnem & sanguinem eiusdem, an quisquam sanæ mentis harum maximarum Synodorum autoritate credat, Arrij & Nestorij blasphemias rectè damnatas fuisse, qui de diuinissimo hoc viuifico & incruento sacrificio, quod à solo Sacerdote offerri potest, aut de vera viuificæ carnis & sanguinis Domini, in eodem præsentia dubitat? Maximè cùm sanctissimi Patres nequaquam ex professo, sed alia ratione inducti, de his obiter, vt occasio tulit, egerint? De quibus, si ex instituto aduersùs istos μισολειτουργῶν, differere voluisset, ô quot & quanta de his mysteriis, tametsi ineffabilibus nobis deprompsissent? Sed hæc hactenus; cætera suo loco.

ὁμοούσιον.

Qui incruentū Ecclesiæ sacrificium, aut realem Dominici corporis & sanguinis in Eucharistia præsentiam negat, is potiùs Nestorianus quàm Christianus habendus est.

Deinde Can. 8. eiusdem synodi scribitur; Quòd si ad Catholicam Ecclesiam voluerint ex Nouatianis venire, vt confessionē faciant, & eam in scriptis dent, se omni consensu fateri, Ecclesiæ Catholicæ statuta obseruaturos. Audis Ecclesiæ Catholicæ statuta? tametsi expressis scripturæ verbis non contineantur. Audies in eodem Can. Sacerdotij dignitatem, quam Aduersarij nescio ad quem Senioratum, vt ita loquar, traducere student: Hi verò scribunt, qui ab istis (Nouatianis) veniunt, si fortè Episcopus fuerit, habeat sacerdotij dignitatem, nisi fortè placeat Catholico Episcopo concedere ei etiam Episcopalis nominis honorem. Et Can. 9. non obscurè damnant ministrorum iam apud sectas ordinationem, cùm declarant eos, quibus manus temerè contra regulam imponuntur, non recipi debere in Ecclesiasticum ordinem. Aut enim contra regulam & Canones Ecclesiæ est, vt laici soli ordinēt Presbyteros, & constituant Episcopos, aut nihil est. Neque laicos excusat, quòd imponant à se ordinatis alia nomina; ministrorum scilicet Superintendentum, cùm illos in Sacerdotum & Episcoporum munia temeritate magna intrudant. Hoc enim, vt sequēte Can. 10. de quibusdam aliis docent, non præiudicat regulæ Ecclesiasticæ. Sed cùm compertum fuerit, inquiunt, deponantur. Rursùs Can. 11. iis, qui propter ablationem tantùm facultatum, aut propter periculum, aut aliquid eiusmodi (quod non intētat, opinor, præsentem mortem) lapsi essent ad Paganismum, imponūt Patres pœnitentiam aliis duorum, aliis trium, & aliis rursus septem,

Statuta Ecclesiæ probat Nicenū Concilium, quæ Nouatores improbant.

Sacerdotij dignitas.

Ministros sectariorum recipi debere in Ecclesiasticum ordinem, sed deponi ab officio, quod temerè vsurpāt.

De graui, quæ lapsis olim imponebatur, pœnitentia.

De Eucharistia, quæ olim semper instante morte administrari solebat, contra Sacramentariorum nunc morem.

Insignis ministrorum barbaries.

ptem, aliis decem annorũ. An non minister his pœnis adiudicatus, hîc statim quæreret, Ex qua scriptura? An non sola fides ad salutem sufficit? Sic Can. 12. videntur ex industria calamũ stringere in ministros Caluinisticos: quos audio iam in nostra Scotia non solùm suis discipulis, ante instantem mortem, non ministrare suum communem & typicum panem venerabilis Sacramenti loco; sed ne sua quidem præsentia moribundos consolari, aut in efferendo funere præsentes esse solere. Quid verò noster Canon? quid aliud, quàm quòd secundùm antiquæ & diu antè eos obseruatæ legis regulam, ne in pœnitentia quidem quantumuis graui constituti, necessario vitæ suę viatico, hoc est, sacratissmia corporis & sanguinis Domini communione, defrandentur. Can. 13. pariter est de pœnitentia iniungẽda lapsis Catechumenis. De. 14. iam diximus, quòd satis sit, hoc loco. Canon autem 15. sicut & 16. non minimũ facit aduersùs ministros, qui docent contra Canones & Ecclesiæ regulam esse. Si Episcopus, Presbyter vel Diaconus transeant ab vna ciuitate in aliam, licet ministerij Ecclesiastici implendi causa: si quis eiusmodi inueniatur, iubent Patres eum restitui ciuitati, in qua ordinatus sit, nisi malit excommunicationis sententententia feriri. Sed quid scripsissent putas, si abdicato Episcopatu, Sacerdotio, aut Diaconatu, rediissent prorsus ad seculum, ad vtrumque forum, hi ad iudiciale, illi ad mercuriale, vel ad militiam, maximè contra suos Principes, vel ad piraticam, aut quid aliud seculare, quod faciunt non pauci ministri?

Non licere Episcopo, Presbytero aut Diacono, ab vna ciuitate in aliam sui ministerij causa transire.

Sed ministri abdicato ministerio redeunt ad seculum.

Hæc placuit ex celeberrima illa, & summæ, quæ vnquam post Apostolos extitit, autoritatis synodo (& prima quidem ex illis quatuor, quas Gregorius ille M. vt 4. Euangelia se amplecti scribit) atque id in gratiam aduersarij & ipsius symnistarum adiicere. vt pateat quàm parum ipsi cum posterioribus Conciliis & orthodoxa Catholicaque Ecclesia, cùm ab hac primaria tam apertè dissideant, vel nobiscum, vel inter se, cùm ne in commemoratis modò conspirẽt, habeant commune. Et si de conciliis statui nihil hîc aliud addere; non possum tamẽ ex vltimo illorum quatuor, Chalcedonensi putà, non vnum atque alterum Canonem huc adferre. Quorum prior est ordine quidem 14. de Diaconissa, quæ post ordinationem nubit; anathemate habenda, vnà cum illo, cui se commiscet. His verbis editus: Diaconissam non debere ante annos 40. ordinari statuimus, & hoc cum diligenti probatione.

Quàm manifestè peccent contra Conciliũ Chalcedonen.

Si

Si verò ordinationem susceperit, & quantocunque tempore seruauerit ministerium, & posteà se nuptiis tradiderit iniuriam faciens gratiæ Dei, hæc anathema sit cum eo, qui in nuptiis illius conuenerit. Alter est, vt nec Deo dedicata virgo, nec Monachus nuptiis iungi possint: hac verborum forma traditus. Si qua virgo dedicauerit se Deo, similiter Monachus, non licet eis nuptiis iungi: si verò inuenti fuerint hoc facientes, maneant excommunicati. Hîc non agitur de re aliqua adiaphora, cæremoniali aut rituali, sed ipsius veræ religionis propria: quare nihil opus est verborum phaleris, vt monstretur, quàm sanctus Monachus fuerit F. Lutherus, & quàm piè vixerit ipsius Nonna, Deo semel piè dedicata; qui spreto sancto continentiæ voto, fucatoque nuptiarum nomine, horrendo sacrilegio & se cõtaminauêre, & multos [illegible]ios lasciuientium in Christum greges, ad has abominationum verbo & exemplo sordes secum deinde pertraxerunt. Hinc patet, & quàm minimam suæ salutis curam habeant, alij, qui suis consiliis auxiliisque, eiusmodi Priapi Venerisque sacerdotes, cùm luxuriati fuerint in Ecclesiæ bonis, vt diuinæ Maiestati, aduersùs Christum & fidem semel illi sanctè datam insurgant, hortantur, iuuant, defendunt. Garriunt sępe iam homines, de œcomenico aliquo Concilio, quo res controuersæ feliciter componantur, legitimè congregando; quid multa? Si quis arbitretur hæc quatuor, quorum iam meminimus, Concilia non fuisse legitimè congregata, & diuino spiritu collustrata, rectèque omnia secundùm scripturas & Spiritum sanctum definiuisse & statuisse, non est quòd de aliis Conciliis cogitet, aut de Scripturis sanctis, aut de religione loquatur: cùm mea quidem sentẽtia seipsum prodat esse, qui fit, si quis alius suo ipsius iudicio condemnatus, eò quòd spreto tam aperto Ecclesiæ consensu, sibi pertinaciter elegerit, quo iure damnari debet. Sed omissis Conciliis, Ecclesięque Canonibus, ad Cęsareas leges nunc redeo, ostensurus, quam fidem & religionem ipsæ nobis commendent, quas pœnas & præfigant hæreticis, nec non & quos ipsę declarent esse hæreticos. Quod primo loco posui; constat clarissimè ex edicto Gratiani, Valentiniani & Theodosij, Imperatorum, ad populum Constantinopolitanum, dum his verbis scribunt: Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus religione versari, quam D. Petrum Apostolum tradidisse Romanis religio vsque adhuc ab ipso insinuata declarat,

Diaconissę, dedicatæ Deo virgini, nec Monacho, nuptias contrahere licet.

In F. Lutherum, & ipsius Nonnã Catharinam.

In eos, qui eiusmodi Priapi Venerisq; sacerdotes promouent & tuentur.

Quid si quis contemnat quoduis istorum primariorum Conciliorum?

Quam fidem & religionem nobis commẽdant leges Cæsareę, & quas pœnas statuunt hæreticis.

L. 1. C. de sum. Trinit. & fid. Cath.

Fucata Zuinglianorum & Caluinistarum de fide Catholica confeßio.

quamque Pontificem Damasum sequi claret: Et Petrum Alexandriæ Episcopum, virum Apostolicæ sanctitatis. Hic obseruatu dignißimum est, ministros indoctißimè quidem, licet subdolè, vt imponant simplicibus, probare moliri ex hoc ipso edicto & Symbolo Damasi, se in veritate veræ & antiquæ Christi Ecclesiæ perstare, neque vlla noua aut erronea dogmata spargere, atque ideo etiam nihil consortij (ô terque quaterque præter multorum opinionem beatos viros!) cum vllis sectis aut hæreticis habere; eò quòd rectè credant, scilicet ea omnia, quæ in Euangelicis & Apostolicis literis, nec non & in Symbolo Damasi continentur. Id, quod contestatum omnibus, cupiunt, edito ea de re libello Tiguri, Anno 1566. Neque pigebit ipsius libelli titulum integrum quidem hoc loco inserere, præ se ferre enim videtur, vel magnam resipiscentiam, vel insignem hypocrisim dißimulare. *Confeßio* (scribunt) *& expositio simplex orthodoxæ fidei & dogmatum Catholicorum sinceræ religionis Christianæ concorditer ab Ecclesiæ Christi ministris, qui sunt in Heluetia, Tiguri, Bernæ, Scaphusij, Sangalli, Curiæ Rhetorum, & apud confœderatos, Mylhousij. Item & Bienne: quibus adiunxerunt se & Genuensis Ecclesiæ ministri,* (ô magna Ecclesia victoria) *edita in hoc, vt vniuersis testentur fidelibus, quòd in vnitate veræ & antiquæ Christi Ecclesiæ perstent, neque vlla noua aut erronea dogmata spargant, atque ideo etiam nihil consortij cum vllis sectis aut hæresibus habeant, hoc demum vulgato tempore, qui de ea æstimari piis omnibus liceat.* Speciosus quidem, vt amplus est titulus, & nisi deinde sophisticum plane & mendacißimum se proderet, fidelibus auribus esset gratißimus: Est etiam eatenus nonnihil gratus quòd multò modestiùs, & minùs etiam malè illic cōtrouersa aliquot dogmata tractent, quàm aliâs solent eius farinæ homines. Atque ideo nihil mirum, quòd tradant, opusculum illud ad ipsorum fratres (qui & ipsi aliquid præ cæteris videri volunt) in Scotia, missum, fuisse reiectum, nec non, ne & inter ipsos distraheretur, interdictum. Ingeniosum sanè videtur istorum de Damasi Symbolo commentum, & bellum præstigium; sed quod vix puero probè catechesi informato oculos perstringat. Continet enim Damasi Symbolum ea tantùm, quæ sanctus Pontifex, aduersùs illos veteres Hæreticos, qui sanam doctrinam, de mysteriis sanctißimæ Trinitatis & dominicæ incarnationis, oppugnabant. Confitetur in hanc formam: Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, in vnum Dominum nostrum

Quia antè à Zuinglianis erant di iuncti.

Qua larua tegūt ministri suas hæreses per Symbolum B. Damasi.

Quæ continet Damasi Symbolum.

ſtrum Ieſum Chriſtum, Dei Filium, & in Spiritum ſanctum, Deum non tres Deos, ſed Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, vnum Deum colimus & confitemur: non ſic vnum Deum, quaſi ſolitarium, nec eundem, qui ipſe ſibi Pater ſit, ipſe & Filius, ſed Patrem eſſe, qui genuit, & Filium eſſe, qui genitus ſit, Spiritum verò ſanctum non genitum, neq; ingenitum, non creatum, neq; factum, ſed de Patre Filioque procedentem, Patri & Filio coæternum, & coæqualem & cooperatorem. Quia ſcriptum eſt, verbo Domini cœli firmati ſunt, id eſt, à Filio Dei & Spiritu oris eius, omnis virtus eorum. Et alibi: Emitte Spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Ideoque in nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti, vnum confitemur Deum, quod nomen eſt poteſtatis, non proprietatis, proprium nomen eſt Patri, Pater, & proprium nomen eſt Filio, Filius, & proprium nomen Spiritui ſancto, Spiritus ſanctus. In hac Trinitate vnum Deum colimus, quia ex vno Patre quod eſt, vnius cum Patre naturæ eſt, vnius ſubſtantiæ, & vnius poteſtatis. Pater Filium genuit, non voluntate, nec neceſſitate, ſed natura Filius vltimo tempore ad nos ſaluandos, & ad implendas ſcripturas deſcendit à Patre, qui nunquam deſiit eſſe cum Patre. Et conceptus eſt de Spiritu ſancto, Et natus ex Virgine, carnem & animam & ſenſum, hoc eſt, perfectum ſuſcepit hominem, nec amiſit quod erat, ſed cœpit eſſe quod non erat: Ita tamẽ vt perfectus in ſuis ſit, & verus in noſtris. Nam, qui Deus erat, homo natus eſt, &, qui homo natus eſt, operatur vt Deus, &, qui operatur vt Deus, vt homo moritur, & qui vt homo moritur, vt Deus reſurgit, Qui deuicto mortis imperio, cum ea carne, qua natus, & paſſus & mortuus fuerat, & reſurrexit, aſcendit ad Patrem, ſedetque ad dextram eius in gloria, quam ſemper habuit & habet: In huius morte & ſanguine credimus emundatos nos, & ab eo reſuſcitandos die nouiſsimo, in hac carne, qua nunc viuimus, & habemus ſpem, nos conſequuturos præmium boni meriti, aut pœnam pro peccatis æterni ſupplicij. Hæc lege, huic crede, hæc retine, huic fidei animam tuam ſubiuga, & vitam conſequeris & præmium à Chriſto.

In hoc Symbolo nihil de Eccleſia, nihil de Sacramentis, nihil de aliis veræ religionis dogmatibus, cuiuſmodi omnia, nemo aduerſariorum planè reiicit. Quare poſſet quilibet, vel ea ſimul omnia, ſalua & iſta Miniſtrorum Confeſsione, ſaluo & *Detegitur Confeſsionis Miniſtrorum fallacia.*

Damasi Symbolo, sed minimè tamen doctrinâ alias traditâ respuere & damnare. Postremò ipsi omnia, si Superis placet, ex Euangelicis Apostolicisque literis docent. Verùm, cùm ea de re tota sit controuersia, debuissent ex fide & doctrina Damasi, cui innititur edictum sapientissimorum Cæsarum, Gratiani, Valentiniani, & Theodosij, sententiam suam de religione, sine dolo probare atque claram ostendere. Verùm, quę fuerat fides & doctrina Damasi Pontificis, non ex eo solo Symbolo, quod contra illius temporis errores editum est, sed & ex scriptis aliis eruditissimi atque sanctissimi Patris, nobis cōstat: Et constat quidem, eam etiam vsque nunc (vt edicti verbis vtar) hoc est, ab illo seculo, vt antea etiam, vsque ad hoc nostrum inuiolatè per totum Christianum orbem durâsse & floruisse. Quænam fuit fides ista ais? ea nimirum, qua & alia quædam idem grauissimus Antistes credi & obseruari ab orthodoxis debere suis Decretis & Epistolis commemorat. Atque ea talia sunt, vt sicut per ea hactenus floruit, summâ semper in Ecclesiis seruata concordiâ, regnum Christi: ita & per eadem ministrorum, aut Antichristi potiùs iam inceptum & tam monstrosè diuisum in se regnum, funditus euertitur. quò fit, vt minimè sit mirum, ne audire quidem ea citra vehementissimum animi dolorem atque indignationem posse ministros. Primùm non vult nos tantùm secundùm scripturas, vt inde sibi quisque, quam somniat, excogitet fidem, sed secundùm fidem Nicenæ Synodi, constanter credere: Deinde non se addere verbo Dei, sed illud rectè explicare putauit, cùm ad preces D. Hieronymi, in fine cuiusque Psalmi cantari in Ecclesia præcepisset versiculum illum, Gloria Patri & filio, &c. Quamuis conceptis verbis, iuxta ministrorum regulam, id non contineant scripturæ. Quo exemplo, inter alia coguntur ministri, nulla Ecclesiastica dogmata, veterum maximè consensione, ex diuinis scripturis collecta, reiicere debere; tametsi expressis voculis in sacris Bibliis depicta non habeantur. Damasus pręterea passim confugit ad Canones superioris suo seculo Ecclesiæ. Vt illa, inquit, quæ Apostolica & Patrū traditione constituta sunt, sub metu irrefragabili autoritate teneantur. Quin & eos, qui voluntariè Canones violant, peccare in Spiritum sanctum docet. Qua de re & nobis suum decretum reliquit, his verbis, Violatores Canonum voluntariè grauiter à sanctis Patribus iudicantur, & à sancto Spiritu, cuius instinctu ac dono dictati sunt, damnan-

Marginal notes:

Fides & doctrina Damasi aliūde quàm ex solo Symbolo petenda.

Doctrinam Damasi non posse ferre ministros.

I. Propter Nicænam Synodum violatam. Epist. 1. ad Paulinum Episcopū.

II. Propter dogmata Ecclesiastica ab eis reiecta.

III. Propter Canones Ecclesię, quos summopere probat Damasus.

Sententia Damasi eos, qui Canones vltrò violāt, peccare in Spiritum sanctum.

damnantur, quoniam blaſphemare in Spiritum ſanctum non incongruè videntur, qui contra eoſdem ſacros Canones, non neceſsitate compulſi, ſed libenter, (vt præmiſſum eſt) aliquid aut proteruè agunt, aut loqui præſumunt, aut facere volentibus ſponte conſentiunt. Talis enim præſumptio, manifeſtè vnum genus eſt blaſphemantium in Spiritum ſanctum: quia (vt iam prælibatum eſt) contra eum agit, cuius nutu & gratia ſancti Canones editi ſunt. Quid autem miniſtri ad hæc, qui Canones nullos ante eos, quos edidit ſeruus ille cupiditatum eorum Magiſter circa frena laxanda libidinibus, agnoſcunt? Nec id mireris, cùm ne Eccleſiam quidem vllam, ante illum alicubi floruiſſe percipiant. Nam ſi perciperent vllam, non tam manifeſtè contra Nicenam ipſam Synodum, omnium Catholicorum calculis tantopere probatam, haud quaquam tam palam, inq; tam multis, quę iam oſtendimus, peccarent. Adhæc Damaſus non minus peculiariter ſibi à Domino dictum eſſe. Paſce oues meas, & illud: Confirma fratres tuos, quam olim D. Petro, cui in Epiſcopatum ſe ſucceſsiſſe agnoſcit, atq; ea ratione non ſe ouium duntaxat, ſed & Paſtorum omnium Paſtorem eſſe & Epiſcopum. Neque is ſolus illud ſibi ex ſcripturis competere intellexit, ſed & reliqui tunc per orbem Epiſcopi, cuius rei confirmatio ſit. Epiſtola Epiſcoporum Mauritaniæ ad ipſum Damaſum, in hæc verba, Beatiſsimo Domino, & Apoſtolico culmine ſublimato, ſancto Patri Patrum, Damaſo Papę, & ſummo omnium Præſulum Pontifici, Stephanus Archiepiſcopus Cōcilij Mauritanię, & vniuerſi Epiſcopi de tribus Conciliis Aphricanæ Prouinciæ, &c. horum potiſsimùm hîc memini, quòd Damaſus his reſpondens aſſerat, firmamentum fixum atque immobile, nec non & titulum lucidiſsimum Sacerdotum, id eſt, omnium Epiſcoporum Apoſtolicam, id eſt, Romanam ſedem à Deo eſſe conſtitutam, ſimiliter & verticem Eccleſiarum. Aſſerit præterea, ſe vice Petri orthodoxæ fidei, Principis & Doctoris pro Chriſto, gratia Dei, legatione tunc functum: & addit, quòd enecet miniſtros, in hæc verba. Et omnes, inquit, huius ſanctæ ſedis Præſules eius (Petri) vicem geſſerunt, gerunt, & gerent. Neque licere indicat aliis Epiſcopis vllis, cum ſuis Metropolitanis in ſummis Eccleſiæ cauſis, abſque auctoritate Romanæ ſedis quicquam definire, & eam ſedem appellare, ſi opus fuerit, eiusque auxilio fulciri omnes oportere. Addit & alia in hæc ipſa verba ad eoſdem Epiſco-

Primus miniſtrorum Canō, quo ſtatuerunt licere Monachis et Nōnis nuptias contrahere, damnat Canones 14. & 15 Concilij 1. Epheſ. nec non & ſententiā Apoſtoli illam habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. 1. Timoth 5. b.

B. Damaſus ex Dei verbo ſe tam Epiſcoporum, q̄ omnium Paſtorem & Epiſcopū fuiſſe cognouit.

Epiſcopi Aphricani idipſum fatebantur.

Cuncta tribuit Damaſus Romanæ ſedi.

Agnouit ſe & omnes Pontifices Petri ſucceſſores.

Nihil magnarũ rerum Ecclesiasticarum, neq; à Cõciliis, neq; ab aliis Episcopis, sine autoritate Rom. sedis definiri debere. Ad eam omnes appellare.

pos: Nam (vt nostis) ait, Synodum sine eius autoritate fieri non est Catholicum, Nec Episcopus, nisi in legitima Synodo, & suo tempore Apostolica vocatione congregata definitè damnari potest, neque vnquam vlla Concilia rata leguntur, quæ non sunt facta Apostolica autoritate.

Hactenus sua fide sincerè ostendit B. Damasus, qua credidit Petri Successorem, Romanum Põtificem, tàm secundùm scripturas, quàm Ecclesiæ Canones, & in Concilia & in cæteros Episcopos valere potestate. Nunc itidem ex ipsius B. Damasi verbis patebit, quantum ipse potestatis esse credidit Episcopo, prę quocunque alio Sacerdote; vnde tam apertum erit, vt nulla tergiuersatione dissimulari, nullo cauillo eludi queat, longè aliam fuisse eruditissimo Damaso fidem, quàm vllis vllius sectæ ministris. Postremò & Damasi fidem non aliam hìc fuisse, atque eam, quam aduersarij vt maximè Papisticam odêre & impiè execrantur. Scribens igitur Pius Pontifex aduersùs quosdam Sacerdotes, qui nescio, qua licentia in villis & pagis vsurpauêre sibi, eo seculo, Episcoporum potestatem, vnde dicti erant Corepiscopi, quasi diceres villarum, aut pagorum, siue rurales Episcopi. ea omnia fusè satis, quæ docet hodie Ecclesia esse Episcoporum propria, depingit. Sed primùm præscribit illos, quibus se contineant terminos, his verbis: Hoc solummodo concedatur (eis) vt inter Sacerdotes locum habeant, & ministerio Presbyterorum contenti sint, atque mensæ Domini tantummodo participes existant; ampliùs autem, qui ambire voluerint, nec hoc retineant, vt Sacerdotes sint, sed omni Ecclesiastico funditus priuentur honore. De iis autem, quæ Episcopalis sunt muneris, quæ alij Sacerdotes minimè participant, statim ita verba facit. Quòd verò, ait, eis non liceat Sacerdotes cõsecrare, nec Diaconos, aut Subdiaconos, nec virgines: nec altare erigere, nec vngere, nec sacrare, nec Ecclesias dedicare, nec Chrisma conficere, nec Chrismate baptizatorum frontes signare, nec publicè quidem in Missa quenquam pœnitentem reconciliare, nec formatas (quas nunc vocãt literas dimissorias) epistolas mittere, nec populum benedicere, nec ante Episcopum in baptisterio, aut in sacrario introire, quæ sequuntur, facit quidem quilibet Sacerdos, non tamen præsente Episcopo, nisi iussus, aut potestatem, benedictionémue petens, nec præsente Episcopo infantem tingere, aut signare, nec pœnitentem sine præceptione Episcopi sui reconciliare,

Damasi religio eadem, quã nunc vocant Sectarij Papisticam.

Propria Episcoporum Doctore Damaso; ad quæ alij Sacerdotes non attingunt.

Episcoporũ propria obserua.

liare, nec eo præsente, nisi eo iubente, Sacramtum corporis & sanguinis Christi conficere, nec eo coram posito, populum docere aut salutare, nec plebem exhortari, quæ omnia solis Pōtificibus deberi, tam ex superioribus, quàm ex aliis Patrum constitutis, aut sacris Canonibus edocti estis. Hactenus ille: Qui & paulò inferiùs duo valde obseruanda, paucis verbis nobis iuxta veteres Ecclesiæ Canones commendat. Primùm vt Presbyteri sine iussu proprij Episcopi nihil agant. Deinde & eius rei rationem, subdit, quam ipsi hodie summo cūdolore sentimus, esse verissimā. Si nomē, inquit, vilescit Pontificum, omnis status perturbatur Ecclesiæ. Qua igitur ratione, eos aliquam Dei iudicemus esse Ecclesiam, & non veriùs Ecclesiam palam malignantium, apud quos Pontifex nullus, Presbyter nullus, nullum altare, nullum Chrisma, nulla Deo solenniter dicata virgo? Aut eos denique B. Damasi fidem & religionem tenere, qui nihil eorum omnium (præter pauca quædam religionis prima capita) quæ credidit & docuit Damasus & amplexi sunt, Gratianus, Valentinianus, & omnes pij Imperatores, nobiscum credunt, aut quouis modo probant. Satis itaque sit hoc loco propter breuitatem, cui studemus, istas præstigiorum nebulas dispulisse, istam planè perspectæ sycophantiæ laruam, qua impudentissimè nobis sanctissimum exhibent Damasum, ipsius Damasi lingua arguisse, ipsiusque Damasi manu detexisse.

Sed ad leges Cæsareas me rursus recipio: Confitentur pij Cæsares, non solùm se credere iuxta Euangelica Apostolicaque scripta (vt possint eo nomine, ceu faciunt aduersarij quidlibet circa fidē comminisci) sed secundùm eos etiam, sine omni innouatione, qui post Apostolos Ecclesias Dei sanctè rexerunt. Scribit itaque Iustinianus Imperator, cùm recta atque irrepræhensibilis fides, quam prædicat sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia, nullo modo innouationem recipiat: Nos sequentes sanctorum Apostolorum, & eorum, qui post eos in sanctis Dei Ecclesiis conuersati sunt, dogmata, iustum fore existimauimus, cunctis manifestum facere, qualiter de fide, quæ in nobis est, sentiamus, insistentes & adherentes traditioni & confessioni sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ, &c. Et clariùs multo hac de re, qui Iustinianum ætate præcesserunt, Arcadius & Honorius, vt suprà iam commemoratum est. Et, vt hoc præstarent, putas, quòd illi statim (vt nunc insanientiū turbæ omnium sectarum) sese opposuerunt Romano Pontifici,

De summa Trinitate & fide Catholica.

Apostolorum simul & eorum, qui Apostolos sunt insecuti, dogmata sectāda.

Traditio Catholicæ Ecclesię.

Iustinia. Imp. in L. Reddentes C. de sanct. Trinit. & fide Cath.

Apostolicæ sedi Cæsares pios omnes adhæsisse.

Petri successori? Id non feliciùs quàm ex ipsorum ore accipies. Scribit igitur Imperator ad Ioann. Papam Rom. Reddentes honorem, ait, Apostolicæ sedi, & vestræ Sanctitati, quod semper nobis in voto fuit, & est, & vt decet Patrem honorantes vestram beatitudinem, omnia, quæ ad Ecclesiasticum statum pertinent, festinauimus ad notitiam deferre vestræ Sanctitatis. Quoniam semper fuit nobis magnum studium, vnitatem vestræ Apostolicæ sedis & statum sanctarum Dei Ecclesiarum custodire, qui hactenus obtinet & incommotè permanet, nulla intercedente contrarietate.

Ibidem vocat Papam Caput omnium Sanctorum Ecclesiarũ.

Et inferiùs paulò; Imperator per omnia properare debet, vt crescat honor & autoritas Apostolicæ sedis. An cogitauerunt aliquãdo de euertendis, Catholicorũ opera extructis, Deo templis? Catholicorum inquam, quoniam Hæretici nullam ferè speciem huius in Deum pietatis unquàm exhibuêre; Audi alium Principem in hæc verba: Vndique ad hunc exitum prouidentia ducere debet, vt omnipotentis Dei templa (in quibus nostræ fidei instituta perdurant) cultu assiduo per omnia secula rediuiua seruentur: De quorum instauratione, Hæretici nihil potuerunt aliquando cogitare, quæ penitùs esse nolebant. Neque satis existimauêre pij Principes leges ferre, aduersùs scelestissimos homines, ne tam atrox facinus in domos Deo dicatas committerent, sed capitali pœna vindicandum tantum crimen decreuêre: Si dubitas, Arcadium & Honoriũ ita definientes ausculta. Si quis, inquiunt, in hoc genus sacrilegij proruperit, vt in Ecclesias Catholicas irruens, sacerdotibus & ministris, vel ipsi cultui locoque aliquid importet iniuriæ; quod geritur, à prouinciæ Rectoribus animaduertatur; atque ita prouinciæ moderator Sacerdotum & Catholicæ Ecclesiæ ministrorum, loco quoque ipsius & diuini cultus iniuriam, capitali in conuictos seu confessos reos sententia nouerit vindicandum.

Anastasius Imp. L. Si qui Orthodoxæ C de Heret. & Manich.

Templa assiduo cultu seruanda.

Capitalis pœna, in templorum Dei Nouatores.

In L. si quis in hoc C. de Sacrosanct. Eccl. &c.

Quare Ecclesiæ opulenter fundatæ.

In l 41. c de Episc. & cler. &c. circa finem.

Si scire vis, in quos vsus erectæ, opulenterque fundatæ ab orthodoxis sint Deo Ecclesiæ. Inter alios disces, docente te Iustiniano, vt in eis sacrosanctis Deus colatur sacrificiis. Qui constituerunt, ait ille, vel fundârunt sanctissimas Ecclesias, pro sua salute, & communis Reipub. reliquerunt illis substantias, vt per eas debeant sacræ liturgiæ (per quam vocem intelligunt vbique Græci, quod Latini per sacrosanctæ Missæ sacrificium) fieri: & vt in illis à ministrantibus piis clericis Deus colatur. Docet & idem Iustinianus, quos sibi proponunt Aduersarij, non dico imitandos, sed multis

Liturgia quid?

para-

parasangis superandos, qui vel Dei Ecclesias olim maculâsse vel profanâsse traduntur, Arianos nimirum in Aphrica sæuientes: Vandali, inquit, in Aphrica sæuientes, ipsas quoque Dei sacrosanctas Ecclesias suis præsidiis maculabãt: aliquas verò ex eis stabula fecerunt. Videmus hodie quod non sine gemitu, ac etiam lachrymis à piis videri & conspici solet, quod Anastasius Imp. de furore insanissimorum hominum, in Dei Ecclesias irruentium fieri solere, commemorat. Nec enim dubitari potest, ait ille, si in hereticos tales veniant possessiones, in quibus veræ fidei Ecclesiæ, vel oratoria constituta sunt, & integritas colitur, omnimodo ab iis deseri atque destitui, & omni cultu vacare, omnibus sacris & solitis viduari mysteriis, omni splendore priuari, nullis populorum conuentionibus, nullis clericorum obseruationibus celebrari, & ex hoc sine dubio easdem Ecclesias perire, ruere, complanari. Sed dices forsan per leges licere Monasteria, in quibus sacrosanctum Missæ sacrificium celebratum fuerit (quia id tu idololatriæ ascribis) vendere, donare, permutare, aut (si sis Caluinistici spiritus homo) debere prorsus euertere & demoliri; vide mihi igitur, quantum tu dissides à Pij Iustiniani, imò & à totius Dei Ecclesiæ, quæ & ante mille annos, sicut & ante illud tempus quoque atque abhinc toto orbe floruit, & contra omnes hæreses hactenus obtinuit. Nemini, ait Iustinianus, liceat imposterum cuiuscunque Monasterij, impiam venditionẽ, vel donationem, vel permutationem contrahere, vbi & altare collocatũ est, & sacra Missa facta &c. Audis Dei, non Dæmonis, dubio procul, altare. Audis sacram Missam expresso quidem nomine. Cuius & paulò posteà meminit ibidem his verbis. Nam, si tale, inquit, aliquid admissum fuerit, refutari oportet, vt iterum in sancto Monasterio sacra procedat Missa. Sed tu nullum lapidem nõ moues, vt diuinissima Missarum solennia impediantur, & è memoria hominũ eradi curentur. quare audi, quid tu ex sententia Iustiniani mereris. Si quis diuinis mysteriis, ait, intrando Ecclesiam iniuriam fecerit, iubemus eum tormentis subiectũ in exilium mitti: Si verò diuina mysteria conturbauerit, vel celebrare prohibuerit, capitali supplicio puniatur. At qua quæso pœna dignum existimâsset pius Imperator eum, qui Sacerdotem sacris vestibus indutum, propterea, quòd sacrum hoc singulare Ecclesiæ Deo obtulerit, probrosa morte in patibulo suspensum extingui curauit? Id quod alicubi his annis imma-

Arianos & Donatistas à ministris impietate superari.

In L. 1. C. de offic. præfec. præto. Aphricæ.

In L. si qui orthodo. C. de Hæret. & Manich.

An licet Monasteria in profanos vsus conuertere.

In Nouella const. 7. apud Iulian. patric. §. Nemini liceat.

Missa.

Dei altare.

In sacro Monasterio Missarum diuinissima solennia.

Pœna in violatores sacrorum.

In constit. 115. apud eũdem Iulia. Patricium.

Horrendum facinus.

Patet, quare Aduersarij à Cæsareis legibus ad solas scripturas appellant.

nissimum factum esse scimus. Quoniam commune est omnibus omnium nostræ ætatis sectarum ministris, aduersus munitissima quędam sanctę Catholicę religionis pręsidia, traditiones primùm Ecclesiasticas, Patrumque consensionem, autoritatem deinde summi Pontificis, & postremò tremendum Ecclesiæ sacrificium, omnia sua tormenta vno quasi impetu contorquere statim belli sui initio solere: ex his paucis apparet, quo consilio sibi à Cæsareis legibus, nedum ab Ecclesiasticis sibi cauendum censeant, & ad solas sacras literas (quas pessundata iam apud se Ecclesiastica autoritate, horrenda licentia adulterantes sibi ad omnes impietatis vsus, ô scelus: non aliter quàm Lesbiam aliquam regulam seruire cogunt) etiam in negociis seculi, mira audacia, contra suos Principes (vt olim initiò tumultus spretis Ecclesiæ Canonibus aduersus Clerum) nunc prouocant. Vt non sic, ô impij, non sic. Sed audiendus est Deus in sacris literis, nobis de cœlestibus maximè & æternis loquens: audiendus est & Deus per Cæsarem, aliosq; Catholicos Principes, suo populo in terrenis & fluxis his rebus, nec non & in defensionem Ecclesiæ iusta decernentes. Per eum enim non rebellionis errorumq; ministri, sed Reges regnant, & legum Conditores iusta decernunt.

Prouerb. 8.b.

Si scire cupis, quænam iusta præterea decernunt; ea quippe scies, quæ tu, qui dicis bonum malum, & malum bonum, iniustissima dices. Primum illud, quod tibi carnificina maxima est, vt teipsum castres propter regnum cœlorum. Nam, si minister aut Superintēdens sis, si per istas voces tuo more intelligi vis, quod Apostoli intelligi voluerūt, per Presbyteri & Episcopi vocabula, nulli non genti notissima, in morem pij & Catholici Cleri, in cœlibatu continens & castus viuas oportet. Clericis nuptias, scribit Iustinianus, secundùm sacras regulas penitus interdicimus, aut concubinas habere, aut luxuriis tradere vitam. Et si quis dubitat, de quibus loquitur Clericis, alio loco se explicat his verbis. Si Presbyter, aut Diaconus, aut Hypodiaconus nuptias contraxerit, Canonibus tenetor, & præterea Sacerdotio excidito. Sic de Episcopo audi eundē. Episcopum verò nullam penitus vxorem habere, aut cū ea habitare permittitur: aliàs de Episcopatu proiiciatur, vt qui se ostendit indignum sacerdotio. Audis hîc multa, scio, quę te tuā ob stultitiā, vel suis nominibus grauiter exulcerant. Audis, licet auersus animo, sacros Canones, quos tu execrandos impiè prædicas.

Cœlibatus Cleri & continentia.

In Authen. de Monach §. Si quis autem.

In L. si Presbyter C de Episcop. & Cleric.

Nomine Cleri, qui intelligantur.

In Authen. de sanctiss. Episco. &c. §. presbyteris.

Voces Ecclesiæ veteris ministris horrendæ.

Audis Clericos, Diaconum & Hypodiaconum, Sacerdotium, Presbyterum deniq; & Epiſcopum, à quorum nomenclatura, ſcio totus perhorreſcis. Audis poſtremò, & quod omnes magni Veneris ſacerdotis Lutheri ſymmyſtas prorſus enecat, cœlibatum veris veræ Dei Eccleſiæ miniſtris ſeriò commendari atq; iniungi. Tu monaſticā vitam abominaris; at pij oēs Imperatores, iuxta ſacros Canones, meritò plurimis eam laudibus efferunt. De qua ſcribit Iuſtinianus; Solitaria vita atq; in ea contemplatio plane ſacra eſt, & quæ ſuapte natura animas ad Deum adducat: neq; iis tantùm, qui eam incolunt, commódet: ſed etiam omnibus aliis, puritate ſua & apud Deum interpellatione, competentem de ſe vtilitatem præbeat. Et, ne ſuo, & non Eccleſię ſpiritu hæc ſcripſiſſe videretur, ſubiungit; Vnde & ea res Imperatoribus ſtudio fuit habita, & nos non pauca de dignitate & honeſtate eorum legibus cómplexi ſumus. Sequimur enim ſacros in hoc Canones & ſanctos Patres, qui hæc comprehenderunt legibus, &c. Et deſcribens ibidem pleraq; ferè omnia, quæ Monachorum propria ſunt, mandat inter alia, ne viri in muliebria Monaſteria, neque mulieres in virorum Monaſteria ingredi præſumunt. Atque tu magnum tuæ pietatis argumentum eſſe putas, ſi vel Monachum continentiam profeſſum, vel ſacram Virginem Deo dicatam, blando ſed fallaci nuptiarum nomine, rurſus in ſeculum reducas. Quis igitur miretur, te à ſacra Cæſarearum legum Maieſtate prorſus abhorrere? maximè ſi legeris aliquando ſanctiſsimam illam legem pientiſsimi Imperatoris Iouiniani. Si quis, inquit, non dicam rapere, ſed attentare tantùm iungendi cauſa matrimonij ſacratiſsimas virgines auſus fuerit, capitali pœna feriatur: aut in eundem ſenſum non ſine criminis exaggeratione legem Iuſtiniani, in hæc verba. Raptores virginum vel viduarum, vel Diaconiſſarum, quæ Deo fuerunt dedicatæ, peſſima crimina peccantes, capitis ſupplicio plectendos eſſe decernimus: quod non ſolùm ad iniuriam hominum, ſed ad ipſius omnipotentis Dei irreuerentiam committitur. Audis inter crimina hæc eſſe peſsima: audis & iuſtam tantorum criminum pœnam, capitis vtique ſupplicium. Tu fruſtra ab hac ſententia ad ſacras literas confugies. Hæ enim ſtatim te, ſi in negocio religionis circa aliquam quæſtionem fluctues, ad Epiſcopos Eccleſiarum remittent: vt eos audias, niſi malis eos ſpernens Deum ipſum ſpernere, videri. Et ſi rurſus, ab horum Cathedra, Principum tribunalia

Vitæ monaſticæ laus.

In Authen. de Monah. & aſceter. Col. 10. & fuſius Col. 1.

Pios Cæſares ſecutos fuiſſe Eccleſiæ Canones.

Pietas Sectariorum eſt inceſtā & ſacrilegia procurare.

In l. Si quis 1. cæ. de Epiſcop. & Cleric. &c.

Audiat miniſter & timeat eū, qui non ſine cauſa gladium portat.

In L. Raptores. C. eodem.

Appellatio miniſtrorū ad ſacras literas ridicula & audaciæ plena.

Luc. 10. c.

Appellare ea de re placet, iam audisti summos Christiani orbis Principes definire secundùm sacros Canones, regulam Ecclesiasticam, siue præcepta Apostolorum & Seniorum: eorumque qui Apostolis Senioribusque illis ad Ecclesiæ clauum regendum successerunt. Sed pergo ad alia, in quibus violatæ religionis te non modò sacræ literæ, Ecclesiæ Canones, sed & humanæ quoq; leges reum peragunt: Si violatæ religionis reum: ergo & læsæ Maiestatis, non humanæ modò, sed & diuinæ. Nam quicquid in Deum, siue religionem committitur, id meritò in omnium iniuriam fieri, & publicum crimen censeri debet. At verò quid magis apertè in Deum committi potest, quàm sacrum eius cultum impedire, preces & laudes statutis horis & locis ipsi Catholico ritu offerre vetare, sanctissima denique illius tremendaque mysteria celebrare prohibere?[a] In quam horrendam impietatem leges ita ferri scias: Si quis diuinis mysteriis, vel aliis sanctis eius ministeriis celebrandis, in sanctam intrauerit Ecclesiam, & Episcopo, vel clericis, vel aliis ministris Ecclesiæ iniuriam fecerit, iubemus eum tormentis subiectum in exilium mitti. Ecce pœna in eos, qui violant Ecclesiasticas personas, diuini maximè cultus tempore. Sed in eos, qui in res sacras, aut diuina ipsa mysteria quicquam committere præsumunt, fulminant his verbis: Sed & si ipsa oratoria, vel diuina ministeria (siue mysteria) conturbauerit, vel celebrari prohibuerit, capitali supplicio puniatur. Hoc eodem obseruando & in litaniis, in quibus Episcopi & clerici inueniuntur, vt, si quidem contumeliam tantam fecerit, tormentis & exilio tradatur: sin autem litanias conturbauerit, capitale, periculum subsistit. Si quæris de quibus litaniis agit: non de aliis profectò, quàm de iis in quibus solenni ritu & pij populi frequentia hodie apud Catholicos, dum publicæ supplicationes ad depellendam aliquam imminentem miseriam, Deo fiunt, sanctissimæ crucis insignia deportari solent, quas processiones dicimus. De quibus, vt sequitur, tradit Pius Imperator: Omnibus autem laicis interdicimus litanias facere, sine sanctis Episcopis, & qui sub ipsis sunt reuerendissimis Clericis. Qualis enim est Litania, in qua Sacerdotes non inueniuntur & solennes orationes faciunt: Sed & ipsas honorandas cruces, cum quibus & in Litaniis ingrediuntur, non alibi nisi in venerabilibus locis reponi, &c. deinde & subdit. Si quis autem in hoc capitulo præsentis nostræ legis, virtutem aut transcenderit, aut non vindicauerit,

Læsæ Maiestatis rei.

a Iusti. in nouel. const. 115. apud Julia. Patric. Qui in templis violant Ecclesiasticas personas, aut in sacra quicquam committunt.

Qui violant Litanias.

Sine Sacerdotib⁹ non fieri debere Litanias.

In illis honorandæ cruces deferendæ.

Pœna in delinquentes.

cauerit, prædictas pœnas (verberum nimirum, exilij aut capitalis periculi) patietur. Sed nunc omissis Litaniis, quas vbique damnant Sectarij ad vnum omnes, quid peccet contra sacras Christianorum Cæsarum leges, circa debitam venerationem sanctissimæ dominicę Crucis signo exhibendam, impurissima Caluinistarum potissimùm secta, ex his paucis, quæ sequuntur, perspicere licebit. Multis legibus cautum est, ne quis oratorium aut monasterium vspiam ædificet, nisi prius ab eo rogatus: Episcopus illud Deo consecret, & Crucis signum constituat: at ille (Episcopus) habet, lex, manus extendat ad cœlum, & per orationem locum consecret Deo figens in eo salutis nostræ signum, (dicimus autem adorandam & honorandam verè Crucem) sicque inchoet ædificium, bonum vtique quoddam hoc & decens fundamentum ponens. Et tantam fuisse, apud veteres Christianos, Crucis venerationem constat, vt testamentum non conderent, nisi præstit● sanctę Crucis signo: neque putarent sibi licere illud in pauimento, aut vili loco figurare, vt constat ex lege lata per Theodosium & Valent. Cùm sit nobis cura, aiunt, diligens, per omnia supremi numinis religionem tueri: signum saluatoris Christi nemini liceat, vel in solo, vel in silice, vel in marmoribus humi positis insculpere vel pingere: sed quodcunque reperitur tolli, grauissima pœna multando eo, qui contrarium statutis nostris tentauerit, specialiter imperamus.

Quanta in veneratione dominica Crux fuerit semper habita.

In Authen. de Monach. §. illud igitur.

In L. fi. § Subscriptionem C. de iure deliberãdo.

Non humi pingendam vel sculpẽdam Crucem.

Quid ad hæc, qui Caluini spiritu fascinati exagitantur? An nõ hos pientissimos Cæsares, vel idololatriæ statim arguere deberent, vel vniuersa Catholicorum hodie agmina toto orbe diffusa, hîc ab idololatria expurgare, & se impudentissimos calumniatores esse, sacrilegos quoque atq; impios fateri: qui maledictis adeò in pios debacchãtur, qui salutiferum hoc Seruatoris nostri Dei signum tam acerbo odio prosequuntur, vt nec in templis, nec in publicis quidem locis atque viis, nisi magno cum dedecore comminutum, fractum, aut stercoribus conspurcatum vspiam stare permittunt? quo facto, & Iudæos audacia superant, & Turcas impia barbarie exæquant. Aduersùs illos quidem legem ferũt hanc Honorius & Theodosius; Iudæos quidem, aiunt, festiuitatis suæ solennia, ad pœnæ quondam recordationem incendere, & sanctæ Crucis assimulatam speciem in contemptum Christianæ fidei sacrilega mente exurere, prouinciarum Rectores prohibeant:

Aut omnes pios Cæsares nobiscũ idololatriæ damnandos, vel nos cũ illis ab idololatria absoluendos.

In Machumeticos Caluinistas.

Lex lata contra Iudæos.

In L. Iudæos. C. de Iudæis & Cœlicolis.

Iudæis hic ministros Caluini esse deteriores, Turcis verò fimillimos.

neue locis suis fidei nostræ signum immisceant, &c. Ecce quod Iudæi non nisi furtim apud suos impiè factitârunt, Caluinici palam faciunt, & erectis in Christum vexillis multa militum vi inuadunt, & suos Principes & Catholicorum Ecclesias, adeò vt tam immane scelus in conspectu solis perpetrare nihil vereantur. De Turcis autem tradunt, quòd capta Constantinopoli, Christi crucifixi imaginem in vrbe erigi & superscribi: Is Christianorũ Deus est, Deinde & coniectis stercoribus ignominiæ causa, eam defœdari curârunt: an non eodem prorsus spiritu rapiuntur Caluinici? An non idem & de imagine crucifixi, & de Catholicis, cum ipsis Turcis ferunt iudicium? An non pari ignominia viuificum Christi signum afficiunt. Non dicam hoc loco, quantum veteres Patres, reliquique Scriptores huic sacro signo attribuunt: satis sit illud in aduersariorum opprobrium admonuisse, eos tantum virtutis ipsi inesse credidisse, vt sine eo nullum: Christi Sacramentum ritè perfici suis palàm scriptis testentur. Deinde neminem mirari debere, istos in veterum Iconoclastarum errorem, circa Deiparæ virginis, beatissimorum Apostolorũ, Martyrum quoq;, atque aliorum electorum Dei imagines, tetro errore cum perfidis Iudæis, atq; aliis sceleratissimis hominibus istius sectæ, primis autoribus deiiciendas incidisse: cùm ne signo quidem filij hominis, quod tandẽ aliquando impij tremebundi in aëre visuri sunt, quicquã in terris deferant. O scelus? ô perfidię & omnis Apostasiæ non initium, sed tantùm non consummatę iudicium, luce ipsa clarius?

Carion.

Aug. ser. de sanctis 19. & tract. in Io. 118.

Iconoclastæ.

Matth. 24. c.

Nunc, quoniam de virgine Matre Christi, Martyribus, aliisq; Dei electis, aduersùs quos etiam isti atrox se bellum suscipere gloriantur, mentionem fecimus, audiamus iam, quomodo & leges istam impiam barbariem coarguant. & primùm de Sanctorum inuocatione, quam isti cum Vigilantio negant, ita nos docet Cæsarea lex, hoc deprecantes (ait Imperator Iustinianus) exoramus sanctę & gloriosę semper virginis, & Dei genitricis Mariæ precib⁹, vt quicquid minus est Reipub. nostræ, per nos vltimos seruos suos restituat in nomine suo Deus, & dignos faciat seruitium eius implere. Ridẽt & cũ Manichęis, vt alio loco fusiùs dicemus, Ecclesias à nobis Sanctorũ nominibus appellari. de qua re narrat idem pientissimus Cæsar, quòd primùm cum Constãtinopoli esset vna sanctissima Ecclesia: posteà verò ait, & venerabilis domus sanctę gloriosæq; virginis & Dei genitricis Mariæ, iuxta sanctissimę maioris

De Sanctorum inuocatione, quã cum Vigilantio impiè negant. C. de officio pfecti prętorij Aphric.

Dei templa nominibus Sanctorum rectè nuncupari.

Ecclesiæ

Ecclesiæ vicinitatem, posita, ædificata est, à piæ memoriæ Verina: & venerãda domus S. Martyris Theodori à Portalio gloriosæ memoriæ, dedicata est. Erat etiã venerabilis domus sanctæ Helenæ, quæ sanctissimæ maiori Ecclesiæ copulata est. Quid verò Aduersarij? an non in sanctissimas Martyrum reliquias, quasi in flagitiosissimorum hominũ cadauera, aut quasi de Electorum Dei in corpore gloriosę resurrectione ipsi desperarent, & debacchãtur & sæuiũt? At longè alius Spiritus fuit Honorio & Theodosio, qui propter eam, qua prosecuti sunt Martyres, venerationem, lege publica cauerunt, ne quis eorum reliquias distraheret, néue mercaretur, neque in profana loca, & populi voluptatibus fabricata inferret. Quàm ingenti desiderio haberent apud se Catholici, eo tempore Sanctorum Dei reliquias, inde patet: quod in solennioribus festis Constantinopoli tunc moris fuerit, Apostolorum reliquias in curru aureo ab ipso Patriarcha per vrbem circumuehi. Qui cultus, si in Dei gloriam, vt vera religio apud illos sincerissimæ fidei Christianæ, cesserit: quis crederet, nos illorũ fidei successores, propter insanos insanorum hominum clamores esse, propter eundem cultum idololatria fœdatos? Neque idololatriæ quicquam sapere existimabant illi, sed potiùs verum Dei cultum, propter reuerentiã, quam ipsius seruis adhibebant, si in solennibus iuramentis ipsius æterni Dei nomini subiungerent, & beatam virginem Matrem, 4. Euangelia, & sanctos Angelos. Legimus enim iudicibus & summis administratoribus hanc iurandi formam consuetam fuisse: Iuro per Deum omnipotentem, & filium eius vnigenitum, Dominum nostrum Iesum Christum, & Spiritum sanctũ, & per sanctam gloriosam Dei genitricem & semper virginẽ Mariam, & per quatuor Euangelia, quæ in mãibus teneo, & per sanctos Archangelos, Michaelem & Gabrielem, puram consciẽtiam, germanumque seruitium me seruaturũ sacratissimo nostro Imperatori &c. Probant præterea Valentinianus, Theodos. & Arcad. præter dies festos, Paschæ, Natalis Domini, & Epiphaniarum eiusdem, etiam dies in quibus Apostoli pro Christo sunt passi, Et quo tempore, inquiunt, commemoratio Apostolicæ passionis, totius Christianitatis Magistræ, à cunctis iure celebratur. A cunctis iure celebratur Apostolicæ passionis commemoratio, aiunt summi illi Principes, Ecclesiæ filij & nutritij, iidemque & Papistæ maximi: Quem igitur nisi leuissimum transfugam moueat, quod id negent Caluinistici homines

Hæc vxor fuit Leonis. 1.

Sanctorum reliquias in veneratione habẽre. L 3. C. de Sacrosanct. Eccl. &c.

Niceph. L. 17. C. 16.

In iuramentis addi etiam B. Mariæ &c. nomen solitum. Iustin. in Auth. Iusiurand quod præstatur ab his, qui administrationẽ accipiunt.

Dies Apostolor.

In L. omnes dies C. eodem Tit.

mines, Ecclesiæ spurij, Papæ, Orthodoxisque Principibus, omniq; & ordini & potestati legitimæ hostes infensissimi?

De Sacramentis.

In L. 1. C. ne sanctum baptis. iteretur.

De cæremoniis baptismi.

Possem equidem, nisi studerem breuitati, & ex Cæsareis legibus adferre nõnulla, quæ de Sacramentis erroneè docent Sectarij, cuiusmodi est illud Valentiniani, Valentis & Gratiani edictum: Eorum, inquiunt, condemnamus errorem, qui Apostolorum præcepta calcantes, Christiani nominis Sacramenta sortitos, alio rursus baptismate non purificant, sed incestant lauacri nomine polluentes. Qua sentẽtia non solùm damnantur Anabaptistæ, qui rectè baptismo tinctos infantes, rursus adultiores impiè tingunt, sed & ij, qui non nituntur Apostolica autoritate, circa viuas quasdam baptismi & Eucharistiæ cęremonias, circaque alia multa, non minus ab Apostolis, si Patribus credamus, quàm ipsum infantium baptisma.

Auricularis confessio.

In edicto ad Cõstantinopolitan. de iis, qui luxuriantur, continuat. fol. 10.

Quid quòd & veteres Cæsarum leges auricularem probent, quam isti indoctè & impiè rident, quam vocamus confessionem: simulque doceant contra alterum, quem & disseminauerunt errorem, non satis esse videlicet ad veram pœnitentiam resipiscere, & à peccatis imposterum cessare, nisi & de commissis seriò pœnitentia agatur. Ait igitur Iustinianus: Qui itaque peccatorum mole premuntur, illi non solùm de cætero peccare desinant, sed & ritè agant pœnitentiam, & coram Deo procidant, *& morbum Sacerdoti renuncient, rationemq; curationis percipiant, & prout scriptum est, fructus producant pœnitentiæ*.

Qui censendi Hæretici.

Quid quòd idem apertè definiat eos esse Hæreticos, qui Sacramenta, vel extra Ecclesiam Catholicam, vel non à Sacerdotibus percipiant. Sacram communionem, ait, in Catholica Ecclesia non percipientes à Deo amabilibus Sacerdotibus, Hæreticos iustè vocamus. De qua re multò plura in eodem edicto; è quibus hoc minimè silentio sepeliendum puto, quòd ibidem vocet venerabile Eucharistiæ Sacramentum sacrosanctam & adorabilem communionem eodem prorsus spiritu & sensu, quo B.B. Ambrosius & Augustinus scripsêre de carne Domini in Eucharistia hoc modo: Nemo sumit, nisi priùs adoret. Et non solùm non peccamus adorando, sed peccamus non adorãdo. Quomodo verò Nouatores per suas Apostatas, Monachos & Nonnas, magnum ipsum matrimonij Sacramentum profanent, tametsi ex iam citatis legibus obscurum esse non potest; clariùs tamen euadet ex iis, quæ suo loco ca de re, si Deus dederit, dicturi sumus.

Adorandum Christum in Eucharistia.

Lib. 3. de Spirit. S. ca. 12.

In Psal. 98.

Profanant ministri Sacramentũ matrimonij.

De

De ordinis autem Sacramento adeò accuratè docent leges, non tantùm posteriores, sed & priores illæ à Valentiniano, Valente, & Gratiano latæ, vt singulos cleri gradus, quos hodie habet Ecclesia, nominatim quidem, quatenus ad ordinem spectat, recenseant & probent. Presbyteros, aiunt illi, Diaconos & Subdiaconos, Exorcistas, Lectores, Ostiarios, & Acolythos etiam personalium munerum expertes esse præcipimus. Deinde & Iustinianus, qua ætate, quibus preditus moribus horum quisque, sicut & Episcopus, ordinari debeat, præscribit; neque id sua, sed sacrorum proculdubio Canonum, ad quos sæpe se referunt Imperatores, auctoritate munitus. Neque prætermittere hîc possum, quod idem ex D. Gregorio Theologo, de digno Episcopo eligendo, citat: quem primùm vult mundari, sanctificari, sapere, doceri, lucem fieri, appropinquare Deo, deinde alios Deo, docendo, mundando, sanctificandoque, &c. adducere. Mox ex eodem hæc subdit: Quis instar figuli vno ipso die fictitia sua tornantis ita repente fingat veri cultus Antistitem, cum Angelis stantem, cum Archangelis laudes canentem, & Christo consacrificantem? Quid quæso istos misoliturgos diuini sacrificij, cultusque osores, sonet illud, Christo consacrificantem? Quid obsecro aliud sonare potest, rumpantur sectarum ministri, quàm illud sacrificium, quod summus ille vnicusque verus atque æternus sacerdos Christus Dominus, secundùm ordinem Melchisedech, primus ipse in vltima sua cœna obtulit, & sacerdotibus suis ministerialibus, vt ita loquar, in sui commemorationem, donec veniat rursus in magno illo die, offerre præcepit: Et offert ipse vsque hodie, qui Sacerdos est & oblatio? Nos quidem, vt obseruauêre olim quidam sanctissimi Dei Sacerdotes, ministrorum ordinem tenemus, & sub Christo, & cum Christo offerimus. qui verò hęc sanctificat, creat, facit & transmutat, ipse est. Quòd verò non de alio sacrificio loquatur illîc Imperator, liquet satis ex iis, quæ ex eodem Theologo aduersùs eos Episcopos, qui indignè ordinantur, ibidem adfert: Qui cùm nihil, inquit, ad sacrum Dei altare, & sacerdotium attulerint. Heri sacrilegi, hodie sacerdotes; heri extra sacra, hodie Præsules mysteriorum, &c. Cùm igitur apud Sectarios nostri seculi nullum sit Dei altare, nullum eiusmodi Sacerdotium, Diaconus nullus, nullus Presbyter, & Episcopus nullus, quis hæc sola legens, nisi fortè ille, cui non affulsit illuminatio Euangelij Dei, hos dicat priscæ illius

[Marginal notes: De Sacramento ordinis. — In l. Presbyteros. C. de tit. — In Anthen. l. Presbyterũ ca. de Episco. & Cleric. — De digno Episcopo. — In Auth. de ordinat. Episcop. & Cleric. §. illud quoq; Coll. 10. — Sacerdotes Christo cõsacrificare. — Christũ vsq; hodie offerre, &c. Cyprian. de cœna Dom., Aug li. de ciuit. ca. 20. Chrys. hom. 83. in Matth. — In Sectarios.]

& purioris Ecclesiæ instauratores & non potiùs euersores? quis verbi, & non potiùs iræ Dei ministros & aptissima vasa esse? Cùm per istos videant, (quotquot oculos habēt, quibus rectè videant) illud iam temporis impleri in noua Ierusalem, quod in vetere illa præfiguratum, non sine lamentis se vidisse conqueritur Propheta Ieremias: Et factus est, inquit, Dominus velut inimicus: præcipitauit Israël, præcipitauit omnia mœnia eius, dissipauit munitiones eius, & repleuit in filiá Iuda humiliatum & humiliatam. Et dissipauit, quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum. obliuioni tradidit Dominus in Sion festiuitatem & Sabbatum, & in opprobrium & in indignationem furoris sui, Regem & Sacerdotem. Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ. Tradidit in manus inimici muros turrium eius: vocem dederunt (hostes) in domo Domini, quasi in die solenni. At quæ impudentia est, quòd titulo Euangelicæ gratiæ, acerbissimam illam Dei maledictionem excæcato Iudæorum populo, propter interfectum iustum (Messiam) olim interminatam, & nunc mille quingentos amplius annos grauissimè inflictam in Christianum populum inducant? Dies multos, ait Propheta, sedebant filij Israël sine Rege, & sine Pincipe; & sine Sacrificio, & sine Altari, & sine Ephod & Theraphim.

Thren. 2. b

Osee 3. b.

Non pauci sunt alij istorum crassissimi errores, qui plèrique omnes veterum Christianorum legibus planè conuincuntur: veluti error de sola fide, lege illa, qua docentur sola verba (seu inanes animi conceptiones) non satis esse, vbi facto opus sit. quod quid aliud est; quàm quod dicit Dominus ipse? Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit, &c. Certo enim certius est, nos arctiore diuturnioreq; longè vinculo Deo coniungi charitate, quàm sola fide; quod agnouêre pietate insignes illi Principes, Theodosius & Valentinianus, cùm ita tradiderũt: Nulla certè, inquiunt, professione virtutis, nullaq; re alia potius homines Deo quàm prona liberalitate iunguntur. Et cùm lex tradat bonos & honestos, meritis laudibus euehendos, sicut è diuerso, malignos & veteratores vituperandos & accusandos: an non satis innuunt ipsi Dei hîc imitatores, neque soli fidei, sed & aliis virtutibus æterna illa beatitudinis præmia, neque soli incredulitati, sed & aliis vitiis æterna supplicia decernenda esse? Contra verò eos, qui dicunt, Dei legem à nobis nulla ratione impleri

l. Non omnes §. fin. ff. de re militari.

Contra errorem de sola fide.

In VI. Nouell. tit. de bon. decurion.
l. Iustissimos de offic. rect. prouinciarum.
Neque soli fidei æternam beatitudinem, neque soli incredulitati æterna supplicia deberi.

impleri poſſe, habet lex, quod neque Deus, neque Imperator, neque lex quicquam poſtulat, quod fieri nequeat. Et, ſi reſpondeas, te tuis id viribus nō poſſe, rurſus docet lex, nos id poſſe, quod per alium poſſumus. Id verò (nos) dicimus, ait, poſſe, quod iuſtè, honeſtè & commodè poſſumus. Commodè quidem poſſumus, quod per eum nos confortantem poſſumus, in quo, Apoſtolo teſte, omnia poſſumus.

Dæum non præcipere, quæ fieri non poſſunt.
In l. 1. § cumque hæc C. de vet. iure enucle.
l Nepos. ff. de verbor. ſig.
Philip. 4. c.

Vt his finem tandem imponam, cùm aliter in his omnibus pertinaciter ſentire aduerſarios quàm Catholicos, non modò ex ſacris literis, & perpetuo orthodoxorum Patrum conſenſu, ſed ex Cæſareis quoque legibus diſcamus, nemo non videt, quo animo & ipſi hoc publicarum legum forum declinent, atque inde orthodoxos Principes pariter ad ſua impia figmenta merces peſsimas, quas titulo verbi Dei, vulpina & impia fraude, venditant, abducere, vel arte, vel armis contendant.

Quare nouatores leges deuitât.

Verùm agant ipſi vulpes, agant & lupos rapaces, non parcentes dominico gregi, quotquot de ouili Chriſti ſanctiſsimo ſunt, audient Chriſti vocem paterno affectu nos præmunientis: Attendite vobis, inquit, à Pſeudoprophetis, &c. Audient & eius Apoſtolum cohortantem: Rogo vos fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones & offendicula, præter doctrinam, quam vos didiciſtis faciunt, & declinate ab eis; audiemus & alterum ipſi Domino dilectiſsimum, qui vetat, ne aue quidem eiuſmodi hominibus dicamus; audiamus Epiſcopos & beatiſsimos Martyres, qui idem inculcant: audiamus œcumenica Cōcilia, quæ damnatos hæreſi & excōmunicant, & brachio ſeculari plectēdos cōmittunt: audiamus & optimorum Cæſarū, quorū iam meminimus, ſanctiſsimas in hæreticos leges. At ægrè ferent aduerſarij ſe hæreticos vocari; at nos ægriùs multò, quòd digni ſint hoc ſuperbiæ & contumaciæ nomine. Aurē igitur adhibeāt Gratiano, Valētiniano & Theodoſio, integra fide & probitate Principibus. Hæreticorum autem, aiunt illi, vocabulo continētur, & latis aduerſùs eos ſanctionibus ſuccūbere debent, qui vel leni argumento à iudicio Catholicæ religionis & tramite, detecti fuerint deuiare; horū ſententiæ cōcordat & edictum Friderici 2. niſi quòd concedat anni ſpaciū, quo ſe ſuſpecti honeſtè purgent, niſi velint hæretici condēnati haberi. An leue hereſeos argumentū eſt, cum Simone Mago & Manichæis negare humanæ libertatis arbitriū, cum eiſdem Manichæis ridere templorū & altarium

Quos Magiſtros ſequuntur Catholici.
Matth. 7. b.
Rom. 16. c.
2 Io. c.
Fabian. Martial.
Concil. Lateran. c. 3.
Qui ſunt heretici habendi?
In l. omnes vetitæ C. de Hæret. & Manich.
In Auth. Gazaros C. de Hæret. & Manich.
Veteres hæreſes manifeſtæ, quia olim damnatæ.

erectionem in memoriam Christi Martyrum, & cum nonnullis eorundem negare publicum Ecclesiæ sacrificium? Cum Aërio non tantùm negare offerendum esse pro defunctis, sed etiam negare pro viuis offerendum; quod ille nunquam fuerat ausus? Cum Berengario negare veram in Eucharistia corporis & sanguinis Domini præsentiam? Cum Vigilantio negare Sanctorum inuocationem? Cum Iouiniano reiicere dies indictos ieiunio ab Ecclesia, & cum eodem non modò matrimonium coæquare, sed anteferre virginitati. quod faciunt isti, cum multis suadent & persuadent, Deo dicatis, contempto sancto continentiæ voto, vt se nuptiis iungant? quid cætera recenseo, cùm non constet vllos vnquam hæreticos tot tamque crassos, manifestos, & ante se damnatos errores, quàm hoc tempore, aut imbibisse aliquando aut fouisse. Quoniam igitur sibi plurimum ingeniorum subtilitate placent Sectarum ministri, haberique præ cæteris mortalibus, vt Gnostici olim, eruditione priores ostendant, qua ratione effugiant has leges. Primùm Theodosius & Valentinianus (quos pios Principes iure vocat Aduersarius) enumerato Hæreticorum tunc temporis Catalogo, ita tandem subdunt. Et, qui ad imam, inquiunt, scelerum vsque nequitiam peruenerunt Manichæi, nusquam in Romanum locum conueniendi, morandique habeant facultatem. Deinde Valentinianus & Martianus declarant eos omnes esse Hæreticos, qui prima illa celebriora 4. Concilia, Nicenum, Constantinum, Ephesinum & Chalcedonense integrè non amplectuntur, (à quorum fide in rebus non parui momenti iam monstratum est, nostros aduersarios deuiare) & pœnam illis statuunt, ne ipsi cuiquam apud se Episcopi, vel Presbyteri, vel alterius Clerici nomen imponant, nec Monasteria sibi construant (hoc est, nec nouas Ecclesias, quod sibi concedi cupit Aduersarius, erigant) nisi exilij pœnam cum bonorum amissione subeant. Mandant atq; id vtilissimè, Hæreticorum libros igne consumi, & iis, qui eos scribere præsumunt, manum amputari. Et, ne sim in re facili prolixus, vnam summorum Principum Arcadij, Honorij & Theodosij ante oculos tibi legem constituam. Hæreticos, inquiunt, meritissima seueritate persequimur. huic itaque hominum generi nihil ex moribus, nihil ex legibus commune sit cum cæteris. Ac primùm volumus esse publicum crimen, quia, quod in religionem diuinam committitur, in omnem fertur iniuriam. Quos bono-

Nunquam antehac tot tamque crassi errores in vlla secta, quam nunc sunt omnium Sectarum communes.

l. Ariani. C. de Manichæis & Hæreticis.

Manichæi scelestissimi Hæretici.

In l. Quicunque C. de Hæreticis.

Hæreticus, qui 4. ipsa celebriora Concilia nõ integrè amplectitur.

Ne Hæretici Ecclesias erigant.

Eorum libri cõburendi, & eos scribẽti manum amputandi.

Iust. in Auth. de depos. Authim. & Seuer. coll. 10.

L. Manicheos C. de Hæreticis & Manichæis.

Pœnæ in Hæreticos statutæ.

bonorum etiam omnium publicatione persequimur. Ipsos quoque volumus amoueri ab omni liberalitate & succesione quolibet titulo veniente. Preterea non donandi, non emendi, non vendendi, non postremò contrahendi cuiquam conuicto relinquimus facultatem. In mortem quoque inquisitio extendatur. Nam, si in criminibus maiestatis licet memoriam accusare defuncti, non immeritò & hic tale debet subire iudicium. Ergo & suprema illius scriptura irrita sit, siue testamento, siue codicillo, siue epistola, siue quolibet aliquo genere reliquerit voluntatem, qui Manichæus fuisse conuincitur: sed nec filios hæredes eis existere, aut adire permittimus, nisi à paterna prauitate discesserint. Delicti enim veniam petentibus damus. In eos etiam autoritatis nostræ aculei dirigautur, qui eos domibus suis damnanda prouisione defendunt. Hæc ferè omnia Iustinianus paucis contrahit hac lege, Hæretici, ait, orthodoxorum priuilegia ne habeant: quinimo supremo afficiantur supplicio, bona eorum publicentur, testamentum non faciant, nullo modo contrahant, liberos hæredes non habeant; Si orthodoxi non sint, post mortem accusentur, ipsorum testamenta irrita sint. Cùm hæc non ignoraret F. Lutherus, sese declinare nô potuisse, quid mirum, quòd suis subditis noua quidem, sed horrenda libertate donatis, suam legem non modò in omnium legum, sed & in ipsius Euangelij, quod nunciare prætenderat, exterminium, stupendo fastu ediderit. *Reuera,* inquit, *nos Christiani liberi sumus, ab omnibus omnium hominum legibus exempti, libertate Christiana nobis per baptismum donata.* Et, *Nulla est ergo remedij spes, nisi reuocato libertatis Euangelio secundùm ipsum, extincttus semel omnibus omnium hominum legibus, omnia iudicemus & regamus. Amen.*

In l. 19. (q̃ alias in li. pretermiss. Cod. est) C. de Hæret. & Manich.

Noua lege F. Lutheri omnes leges humanæ abrogatæ, sicut & diuinæ, quæ carnis libertatem prohibent.

Eant igitur superbissimi isti Antiochi in malam crucem, qui putant se cum Antichristo, cuius insignes prodromos se esse declarant, mutare posse & tempora & leges: eant, sed legum tamen maiestate & vinculis nunquam non coercendi. Eant (sed legum nunquam non neruis constricti) ne Principes & subditos committant: ne æquale ius vtrisque de diuinis & humanis rebus iudicandi concedant; néue bonas leges diuinitus potiùs, quàm humanitus traditas, nomine humanarum traditionum exterminent. Eant denique ad meliores scholas, & discant eas demum humanarum traditionum diuina lege prohiberi, quæ pietatem &

Daniel. 7. g. Coercẽdam ministrorum audaciam.

honeſtatem impediunt aut obſcurant; non quæ promouent, illuſtrant, & à rebellium furore tuentur. Eant poſtremò, & ſe ipſi nihil aliud, quàm homines eſſe exiſtiment, ſi tamen homines non planè impij: quippe qui piorum omnium hominum communionem iampridem deſeruêre, fidem reiecerunt, quorumque & tribunalia iam effugêre, ſed fruſtra laborant, fruſtra & alios omnes præ ſe ſolis caudices eſſe putant, aut fungos. De qua rogo, ſuperbia poſſunt iſti humulluli maiore aliquando ſomniare, quàm ſuas ipſorum tantùm traditiones & leges vniuerſo orbi obtrudere velle, & omnium interim Chriſtianorum Principum, atque adeò ipſius Dei Eccleſiæ leges nomine humanarum traditionum reſcindi iubere? At ipſi purum Dei verbum & ſacras tantùm literas; cæteri verò hominum commenta adferunt. Probè ſanè & grauiter. At quod quæſo commentum eſt, ſi hoc non eſt? Scimus ſacras literas ſuis terminis, veteris & noui Teſtamenti libris contineri, at quidnam volunt igitur iſta fabularum tot plauſtra, quæ miniſtrorum nomine circumferuntur, quæque omnem ferè pagum, villam, domum, & forum occupant, ne dicam commaculant? Quanquam ex his, quæ iam commemorata à nobis ſunt, aduerſarij væſaniam ſatis refutatam eſſe arbitramur; cætera tamen, quantumuis leuia, ne dicam futilia ſint, leuiter percurrere nō dedignabimur. ait igitur primùm, vt animet incautos, quaſi diuinæ opis ſpe aduersùs Principes. *Deum tametſi poteſtatem regendi Principibus conceßit, ſibi nihilominus poteſtatis prærogatiuam, vt ipſe illos, quoties vult, puniat, reſeruâſſe.* Verùm iam diximus, id fieri à Zelote Deo, q̃ maximè, quando illi ſanctiſsimam illius religionem, vel vltrò ipſi corrumpunt, vel per Pſeudoprophetas impunè corrumpere permittunt: vt patet tam ex prolixa hiſtoria Regū Iſraëlis à nobis iam recitata, quàm ex oriētis Imperio, in manus hoſtium iam tradito.

[Margin: ...ocedi ſunt mi... ſtri, quòd ſint ... ipſi homines, ... tamen homi... ...]

[Margin: ...nſigne commē... ō eſt, miniſtros ...dferre Dei ver... ...um, alios homi... ...um commēta.]

[Margin: ...rincipes ſcue... ...ſsimè à Deo pu... ...iri ſolere, quan... ...o.]

Deinde ſubdit & ſententiam, quæ ſcribitur 4. Reg. & c. de coronatione Ioas Regis Iuda his verbis. *Pepigit igitur Ioiada (Sacerdos) fœdus inter Dominum & Regem & inter populum, vt eſſet populus Domini, & inter Regem & populum: vt ſcilicet ambularent,* ait, *in via Domini, ſecundùm librum Deuteronomij, quem mādauit Dominus per Moſen, ab vnoquoq; Regum poßideri, & diligenter ab eo legi, vt ſe ad huius normam, ſi benè vellet, eſſe ſibi dirigeret;* & inde colligit in hunc modū: *Non poſſunt obedientes & fideles ſubditi, & Prouinciæ ſtatus & Ordines Principi ſuo maiorem fidem & obedientiam præſtare, quàm cùm ſentiant*

Domi-

Dominum suum à sano, puro & incorrupto Dei verbo deficere, vt illum candidè admoneant, vel ad minimū proposito illius nō suffragentur, ne vnà cū Principe suo offensā Dei & iracundiā incurrant. Ad quę dicimus, vti hęc prima sua superficie plausibilia quidē, vt vera vidētur, ita penitiùs inspiciētibus tanta fraude tecta esse deprehēduntur, vt ea vna benè prospecta, atque, vt par esset, correcta, omnes errores, schismata & hæreses, & in religione iam controuersiæ, protinus in fumo, dissolutæ euanescerent, sancta Ecclesiis pax & summa inter Christianos Principes & subditos concordia floreret. Fraus autē hæc est, vt cùm præcipua vtroque in loco, quem citat Aduersarius, potestas in negotio religionis committitur ipsi Dei Sacerdoti: Hic sincerus cœlestium rerum Iudex, de Sacerdote ne Gry quidem: sed Sacerdotis munus transfert in populum: aut Regi potiùs (à quo deberet populus gubernari) & Sacerdoti simul (à quo vterque deberet Dei legem doceri) populum Principem constituit. Statuam igitur ego vtrumque scripturæ locum ante oculos. Quorum prior hic est: *Pepigit igitur Ioiada* (Sacerdos) *fœdus inter Dominum & Regem;* vis scire quod fœdus? vt Domini legem Rex (vt rectè quidem hîc notat Lyranus) fideliter obseruaret: *Et inter populum, vt esset populus Domini:* vt esset nimirum populus Dei verè (fide nimirum & opere) & non fictè (nomine tantùm, sola fide aut iustitia imputatiua). Postremò, *Et inter Regem & populum*, vt populus esset fidelis Regi, & Rex ageret fideliter ea, quæ essent bona pro communitate populi. Vides hîc primas partes vbique tradi non Regi, licet fuerit is à Deo vocatus, nec alicui eorum, quos nunc vocant ministros, qui currunt minimè à Deo missi, proinde & Deo odiosi, sed ipsius Dei indubitato Sacerdoti Ioiadæ. Et tanto in honore constituit sacra pagina Ioiadam, vt aliâs eum ipsius Dei, cuius uices gerebat, posuerit loco, in hunc modū: *Pepigit autem Ioiada fœdus inter se* (inter Deum nimirum, cuius verus minister erat) *vniuersumq; populum, & Regem, vt esset populus Domini.*

Fraudem hîc percipere, multum cōferre ad Christianam pacem posse.

4. Reg. n. d.

Primas partes vtrobique tribui hîc Dei Sacerdoti.

2. Paral. 23. d.

Alter autem locus est Deut. 17. *Postquam autem sederit* (Rex) *in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secum, legetq; illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominum Deum suum &c.* Audis fidelem Regem accipere debere legem Dei, non à quibuslibet profanis hominibus, sed à legitimo Sacerdote; Et per legem intelliges magis legis sensum, inque omni difficili loco eius interpretationem, quàm ipsum legis librum, iuxta id, quod

Regem de manu Sacerdotis accipere Dei legem teneri.

supra

Deut 17. a. supra eodem capite præcipit Spiritus Dei dicens: *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & iudicum intra portas tuas videris verba variari: Surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesq; ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore: quæresq; ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem; & facies, quodcunq; dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisq; sententiam eorum, nec declinabis ad dextrā, neq; ad sinistram.* Ecce modus omnium controuersiarum componendarum facillimus & apertissimus. Sequitur & in tumidos & rebelles non minùs apertus vlciscendi modus, causa & finis. *Qui autem superbierit, ait, nolens audire Sacerdotis imperium, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo: ex decreto iudicis moriatur homo ille: & auferes malum de Israël, cunctusq; populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia.* Docet similiter disertissimè inter alios Malachias Propheta, legem requiri debere ex ore Sacerdotis. O felicem eiusmodi regiminis administrationem & statum, vbi Regem sacra docet Sacerdos, Rex populum æquitatis lance moderatur, populus denique & Sacerdoti & Regi suum vtrique honorem deferēs, se feliciter humiliat. Commendatur idem Rex Ioas, de quo ita scribitur; fecitque Ioas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Ioiada Sacerdos, hoc est, vt alio loco traditur, fecit bonum coram Domino cunctis diebus Ioiadæ Sacerdotis; tandiu enim illum docere no destitit, iuxta testimonium, quod vna cum Diademate posuisse memoratur super caput eius: hoc est, iuxta legem: quam & vt ipse seruaret, & faceret à suis subditis seruari, illis cæremoniis ostendit. Nunc igitur, si quis, vera libertate conscientiæ, in rebus religionis difficilioribus & alicubi iam controuersis gaudere cupiat, audiat hîc ordinem expressissimo quidem Dei verbo (de quo non sine malitiæ nota tacuit iste rebellionum & fabularum minister.) explicatum. quo se ab omni scrupulo eripiat, vt ita demum iustitia (reddendo cuique, maximè autem Sacerdoti & Regi suum honorem) pace ac gaudio in Spiritu sancto (ex quibus certè in hac vita constituitur regnum Dei) tranquillaque conscientia fruatur. Si verò quis lenociniis & fabulis ministrorum aurem adhibeat, & contra tam apertas Dei verbi sententias credat populi esse, ad sua sacrilega sacra Cæsarem adigere, & Cæsaris deinde contempto Ioiada Dei sacerdote, non religio-

Marginalia: Modus componendi omnes controuersias in religione ex ipso Dei verbo clariss. depromptus. — 2. c. 2. — 4 Reg 12. a. 2. Paralip 24. — Proponitur vera libertas conscientiæ. — In ministros & eorū discipulos.

ligionem, sed inauditam & horrendam impietatem iuxta væsanos popularium clamores admittere, & è suis finibus toto Christiano orbe hucusq; receptam religionem profligare, videat sitné de peruerso illo populo, quem Deus ipse despexit, eò quòd corrigi non possit: Cuius fastum, simul & væsaniam tanta taxans exprobratione, quanta maiore non potuit, ita compellat Ierusalem tunc deploratam Propheta: Populus tuus, inquit, velut ii, qui contradicunt sacerdoti, Videat ne maledicentiâ sit simillimus, aut superior forsan, licet scientiâ longè inferior iis, quos audiuit alius Propheta, aduersùs Deum primò ita loquentes. Desperauimus, post cogitationes enim nostras ibimus, & vnusquisq; prauitatem cordis sui mali, faciemus: Deinde & cõtra Dei sacerdotem, venite & cogitemus contra Ieremiam cogitationes: Non enim peribit lex à sacerdote, neq; consilium à sapiente, neq; sermo à Propheta: Venite & percutiamus eum lingua, & non attendamus ad vniuersos sermones eius; Scimus enim nunquam istum perditissimum populum, ita lingua percussisse Ieremiam, vt Petri successorem & reliquos Catholicos Dei Sacerdotes venenatæ linguæ spiculis pungunt, feriunt & lacerant hodie ministri. Vtinam tamen illud alterum, tam sibi persuasum haberent, quàm re ipsa verissimum est, non perituram vnquam legem à Sacerdote: Nam, si aliter se haberet res, excinderetur columna veritatis & periret Ecclesia: quippe quę sine Sacerdote salua consistere, vt infrà pluribus monstrabitur, nequaquam potest: nequaquam inquam potest. Et vt admirari hîc desinant ministri, affirmo illud tam solida manifestaque veritate niti, vt cùm videatur oscitantiùs legenti, ex scripturis ipsis contrarium colligi posse, tunc maximè nostram inclarescere sententiã. Nam in captiuitate illa Babylonica, scribit Ezechiel, quòd lex peribit à Sacerdote: quod intelligi oportet de libris tantùm legis, à Chaldæis posteà combustis; non autem de lege insculpta in cordibus Sacerdotum, vt ex præclarissimis illis duobus sacerdotibus Ezra & Nehemia elucescit: quorum ille (vt de hoc iam properans taceam) duodecimus ab Aarone Sacerdote magno fuisse traditur: & adeò Dei legem memoriter tenuisse, vt omnes diuinas scripturas à Chaldæis incensas, memoriter tenuerit & fidelissimè, vt nunc sunt, secundùm priorum ipsarum formam restituerit. Si verò de illo maximo inter omnes Iudæos cæcitatis tempore, quod præcesserat temporis plenitudinem prędicto

Osee 4. a.

Ierem. 18. b.

Ibidem c.

Maledicentia ministrorum.

Nõ peribit lex à Sacerdote, quàm verè sit prędictũ.

Ezech. 7. g. consensus.

Ezræ eruditio in scripturis.

Nota quanta sit Ecclesiastic[illegible] traditionis etiã circa S. Scripturarũ Canonem vis.

dicto quidem ab omnibus ferè Prophetis, quo misit Deus filium suum, loquamur; An non statim ipsi sacerdotes interrogati, rectè responderunt Herodi, vbi Christus nasceretur? Si verò de Annæ & Caiphæ diebus sermonē facere placeat, tunc mihi triumphare iure videor aduersùs ministros, qui hęc tempora sępe aduersùs perpetuam veræ doctrinæ in Dei Ecclesia successionem ineptissimè citant. Scire enim deberent tunc tempus aduenisse, quo euanescentibus verarum rerum vmbris, disparenteq; typici illius sacerdotij caligine, lux vera & oculis & cordibus hominum illuxit, apparuitq; verus ipse summus Sacerdos, Deus & Legifer noster, suo fulgore tenebras ita & typos dispellēs, vt nunquā in orbem essent deinceps rediturí; atq; ideo non priùs ipsi de vera legis cognitione & fine, circa Christum tūc pręsentem errauēre, quàm Christus Dominus se verbo & opere, atq; scripturarum autoritate insignis quoq; & prodigiis, atq; id in magnā ministrorum ignominiā, qui nihil horum vnquam ostendunt, se illis exhibuit. Non igitur prius euanuit typicum illud lucis crepusculum, quàm in Christo, inque eius discipulis & sacerdotio exorta est lux; & verior multò quàm antea, veræ legis cognitio: quam duraturā per Spiritum sanctum, quem in Apostolos missurus erat, pollicitus est ipse, qui nec falli, nec fallere potest idem Iesus Christus, Sacerdos, Rex & Legifer noster. hæc pluribus quàm initiò constitueramus ex vetere lege, de sacerdotio Euangelico, eò quòd Aduersarius affirmat, quòd *quæcunque de iure regni circa promulgationem, defensionemq; verbi Dei, tradita sunt in vetere populo, esse ordinationem Dei perpetuam: ita vt ab omnibus & singulis Magistratibus*, ait, *Deus exigat, vt verbo Dei puro & incorruptæ religioni, per omnia eorum dominia, liber cursus permittatur, nisi malint extremum exitium & iram Dei cum impio Herode & Iuliano Apostata subire.* Et rectè quidem, si quod rectè scribit, rectè quoque intelligat. Vtque id nobis præstet, quæro primùm, an in vetere lege Regum munus fuit, an Sacerdotum, Dei legem explanare? At iam ostendimus fuisse sacerdotum, alioqui legem minimè explanatam habuissent Hebræi per annos 400. vsque ad Saulem primum Hebræorum Regem. Id quod pariter contigisset sub lege Euangelica, in vniuerso Romano imperio, ad D. Constantinum per annos circiter 300. de Philippo Cæsare & eius filio Philippo, qui suscepto baptismo non diu superfuēre, aut de Britannis & Scotis Regibus diu ante Constantinum Christum pro-

Marginalia: Matth. 2. a. Eruditio sacerdotum tempore Christi nati. In Christo verò Sacerdote scientię plenitudo, de qua omnes sacerdotes deinde accepēre, accipientque ad seculi cōsummationem.

Io. 14. b.

A solis sacerdotibus Dei populus in vetere lege, dū Reges nō essent, per an. 400. sicut & in noua, per an. 300. regebatur.

professis, de Abagaro denique, aut aliis, qui extra suos limites docere non poterant, non est, quod quisquam nobis ogganniat. Quæro igitur, quos vocat Herodes & Iulianos? an Constantinos illos & Theodosios, Honorios, Arcadios, Martianos, postremoque & Iustinianos? quorum sacras leges in defensionem verbi Dei, sacerdotij Euangelici, traditionum & Canonum Ecclesię, Conciliorum quoque atque consensus Patrum, sicut & eorum propè omnium, de quibus nunc tantas tragœdias excitant malè feriati homines (vti suprà breuiter indicauimus) fixas esse cõstat. An veterum atq; posteriorum hæreseôn patronos Constantium, Valentem & alios? An apud illos priores toto orbe laudatos purum Dei verbum, incorruptamque religionem in honore habitam fuisse existimas: an apud istos posteriores nouitiæ fidei homines, qui ab illorũ fide, & religione toto cœlo, vt ex iis, quæ breuissimè iam dicta sunt, neminem latere potest, turpissimè aberrant? Qui hoc telo nihil mouetur, præfractior est profectò, quàm vt simplex Christi ouicula videatur esse aliquando futurus. Dubitantius hîc noster postremò, cùm omnes animi vires intendit, vt Cęsarem (quem hactenus perpetuò habebat in ore) orthodoxosque alios Reges atque Principes, clanculum non inepta quidem vt putat similitudine in odium pertrahat, eos interea miser omnes, qui se suosq; affectos & symmystas fouent, rectâ in tartara mittit. Eius verba sunt hæc. *Quemadmodum,* ait, *Vasallus, cùm se Principi suo opponit, vel regnum eius affectat, hac ipsa noxa, ius amittit, & extremam incurrit pœnam: ita quoque Reges & Principes, quando iurisdictionem diuinam inuolant, & super animas & conscientias hominum dominium arripiunt, ius suum amittunt, & in iram Dei incidunt & indignationem. Quando enim Princeps quispiam tacitus secum cogitat, vt est in Isaia 14. c. Ascendam in cœlum, & solium meum super sydera collocabo, & similis ero altissimo. Huic respondet Deus: Ego contra te insurgam, teq́; euellam & extirpabo cum omnibus posteris tuis, imò ad inferos te deturbabo, & sceptro ferreo te comminuam.* Nec his contentus addit: *Et quando Pharao dicit Exod. 5. & 8. Quis est Dominus Deus, qui mihi mandat, vt dimittam populum suum, vt ipsi seruiat? Non noui Dominum: Tum denique venit Dominus Deus, & præcipitat eum in mare rubrum; vt se agnoscere eum doceat; Scriptum est enim, Qui me glorificat, hunc & ego glorificabo: qui verò me spernit, spretus esto. Ex quibus omnibus,* ait, *non solùm Principes & potestates discere debent, quousque potentia illorum præcipuè in rebus*

Quos vocet Aduersarius Herodes & Iulianos.

Constare ex prædictis, ministros à Catholica religione multifariã errare.

Aduersarius dirus cẽsor in suos.

Dei & conscientiæ sese extendant, sed etiam subditi, quousq; ipsi Principibus obedientiam præstare debent, nimirum non vltrà quàm quousq; nihil sit contra verbum Dei. Alioqui Deo hoc præcipiente pro se, illud verò pro persona Cæsaris, illud, quod Cæsaris est, postponendum erit illi, quod iubet Deus pro se, ne seruus præponatur Domino, Vasallus suo Principi. Et licet hac in parte, accusetur quis crimine læsæ maiestatis, ipsemet tamen intelligit multò maius crimen læsæ maiestatis diuinæ esse, quàm humanæ, &c. Hactenus ille, & omnia pro Cæsare, orthodoxisque Principibus non infeliciter, licet imprudens, orauit. Nam, qui inuolare in diuinam iurisdictionem magis censendi sunt, quàm qui transgrediuntur terminos suæ vocationis, & cùm iudicare debent de terrenis & temporariis, iudices esse volunt cœlestium & æternorum, aut qui magis dominantur hominum conscientiis, quàm qui votum commune omnium Christianorum, in baptismo rectè Deo & Ecclesiæ ab omnibus fidelibus præstitum violare, & ad sectas transire tyrãnidè compellunt? Aut quis magis ascendere statuit in cœlum, & nidum suum supra sydera collocare, & similis denique esse altissimo: quàm qui segregant se ab vniuersa Dei Ecclesia, sibi aliquod conciliabulum erigunt, nescio in quo vacuo longè supra omnia sydera, & vera luminaria cœli, supra beatissimos Christi Martyres, & alios Catholicæ veritatis Doctores, atq; eos vel in œcumenicis Conciliis, vel aliis suis scriptis conformi doctrinæ splendore mundũ collustrantes? Aut quisnam obsecro Pharaonem apertius agit, quàm qui Mosem & Aaronem, veros Dei Sacerdotes, missos quidem indubitata autoritate per legitimam, & à Deo manifestissimè institutam, & approbatam ordinationem à se repellit, & eorũ loco magis, Hariolos, præstigiatores, & verorum Dei ministrorum simias ad se accersit? Nolo hîc exaggerare, quæ iure possum, & forsan debeo: Sed quæro hîc à meo Dubitantio, qui sæpe nodum, quod dici solet, in scirpo quærit: An ipse Cæsar, aut quisquam Catholicorum Regum, aliorumúe Principum, quicquam eiusmodi vnquam tentauit? Non ostendet opinor, sed fatebitur potiùs, si verum dicere ipsi fuerit volupe, neq; clementissimum Cæsarem, neq; vllos alios orthodoxos Principes quicquam vnquam iniungere subditis, circa fidem & religionem, quod diuina Maiestas prohibet, neque vetare, quod illa præcipit. Si verò aliter sentit, debebat id primò nobis monstrare, in quo putat erratum esse, alioqui futiliter & ineptè toties recoqueret nobis eandem Crambem

Qui cẽsendi sunt in diuinam potestatem inuadere, & aut terminos suæ vocationis trãsgredi, aut supra sydera ostendere.

Quis Pharaonẽ iam agit.

Non posse vllum Catholicũ Principẽ, in negotio religionis, iniungere suis subditis quicquam, quod sit contra Dei verbum, ostendi.

ben ſciſcitando ad rauim, de quo nemo ferè mortalium, nedum Chriſtianus dubitat. Deóne magis an Cæſari etiam extra negotium religionis (ſi quid tale præcipiente Deo cenſeri poſſet) obediendum eſſe. Sed de his hactenus.

Addit & ſecundam quæſtionem in hunc modum. *Vtrum Principi alicui contra legem Euangelicam agenti, Eccleſias vaſtanti, vel etiam impedienti, quo minus extruantur, reſiſti poſſit? Item quando, quibus & quouſque conceſſum eſt:*

Expectaui, vt hic noſtri & orbis reformator, aliquid eorum, in quibus Princeps, quem tacitè corrodit, agat vel agere præcipiat, contra legem Euangelicam oſtenderet: aut magnificas aliquot Eccleſias à Nouatoribus, noua quidem & inaudita liberalitate, ædificari incæptas, quas vel Cæſar vaſtaret, vel extrui prohiberet; at nihil ferè audio præter veterem coccyſmum, obtemperandum eſſe nimirum Dei verbo, & ſacræ ſcripturæ potiùs quàm Principi (quod nemo vnquam negauit) deinde tam licere populo Regem in officio, in iis quę religionis ſunt, quàm Regi populum, retinere. poſteriorem partem confirmare pluribus verbis molitur ex fœdere illo, quod pepigit Ioiada Sacerdos inter Deum, Regem & populum, cuius iam meminimus, in quo nulla prorſus mentio fit de poteſtate populi in Regem, ſed quòd fidelis Regi populus eſſet futurus, vt ſuprà eſt explicatum. Vrget tamen, qua ſolent eius fari nę commentatores, magna audacia; idque vna atque altera autoritate. Priore quidem, quòd Prophetæ coarguentes idololatriæ crimen, non tantùm Regem, ſed & populum alloquantur, vt idololatriam extirpēt; & quare, inquit, hoc à populo peterent, ſi apud iſtos non eſſet poteſtas? Deinde quòd propter hoc & eiuſmodi ſcelera non ſolus Rex à Deo punitur, ſed & populus, & aliquando populus ſolus propter Regem. Atque id qua ratione, quærit? ad vtrunque facilis eſt reſponſio: quia potuit bene populus primùm ſibi ab illo ſcelere temperare: Deinde non conſentire Regi nefanda vel patranti vel præcipienti. Non autem, quòd non ſtatim congregato exercitu in Regem bellum mouerent, eum morti traderent, aut ſolio deiicerent, & alium quenquam in eius thronum protinus eueherent. Vbi verò, quid tale vnquã Dei populo in ſacris literis clarè præceptum ſit, aut in vetere, aut nouo populo, contra ſuum Regem quantumuis impium cum laude factum ſit, non inuitus ab iſtis diſcerem. Quod cùm monſtrare, opinor, non

Aduerſarij coccyſmus ſatis diuturnus, tandem ſe nobis inſinuat; licere nempe populo Regem, vt regi populum in officio religionis etiam gladio continere.

Id probare nititur ex hiſtoria Ioas duplici ratione, ſed inualida.

Solutio vtriuſq;

posſint, nemo miretur, quòd aduerſarius initio huius quæſtionis, ſicut & prioris ſibi concitandæ rebellionis conſcius, excuſari ſe cupit à crimine læſæ Maieſtatis: meminit forſan, quòd ſapiens ille Rex ſcribit: Sicut rugitus leonis, ita & terror Regis: qui prouocat eum, peccat in animam ſuam. *Hæc quæſtio nō tam difficilis eſt*, inquit, *quàm periculoſa vt diſcernatur. Nam magnatibus planè videtur, quòd ea populus & infimæ ſortis homines aduersùs ſe armarentur & ad ſeditiones concitarentur.* Ecce innocentis viri de ſuo candore & ſimplicitate, ſi fidem habere placeat; nemine negante teſtimonium. Rectè quidem canit poëta. O quàm difficile eſt, crimen non prodere vultu: Cùm ne verbis quidem hic ſuum nō prodere nequeat: Vnde conſtat, quàm verum ſit illud Sapientis, Semper præſumit ſęua perturbata conſcientia. Sed cùm docet, quòd populus promiſcuus & infimæ ſortis homines, bellum iuſtè aduersùs Principem concitare non poſſint, non diſsimulat (id quod infrà apertè docet) primores & regni, aut prouinciæ ordines, rectè & piè id poſſe, & eo caſu iure teneri populum, ipſis ſe aduersus Principem adiungere: alioqui (hoc eſt, ſi ſuis viribus vulgus & priuati homines diffidant) cum Apoſtolis fugiant in aliam ciuitatem. Nec priuatis vlla ratione inſurgere in Principem permittit, ſed bene adiūgere ſe pro ſua virili, Rectoribus præcipuis & prouinciarum ducibus, ducibus nimirum rebellionis. Sed ex qua ſcriptura iſta omnia? Neq; permittunt ſibi ad vllum figmentum ſcripturam deeſſe ingenioſi viri. Citant ex illa, eâdem hiſtoriâ Regis Ioas, quòd milites iuſſu ſummi Pontificis Ioiade ſe ſtatim aſſociarent ipſis centurionibus, ad interficiēdam immaniſsimam illam Athaliam Reginam. Rectè ſanè. An inde igitur colligemus ſubditos ſuo ſpiritu inflatos ad promouendos peſtilentiſsimos in religione errores, in legitimum & ſui generis Principē, reclamante Summo Pontifice, ſeditiones & bella mouere? An vlla mentio fit hîc priuatorum hominum & plebis ad hoc quantumuis præclarum facinus aggrediendum; an potiùs centurionum tātùm & militum? Aduersùs quem deniq; fit inſurrectio, an aduersùs ſuum clementiſsimum Principem? Nequaquam, ſed aduersùs inſignem idololatram & immaniſsimā mulierem ſumma tyrannide, occiſis filiis regiis, & regnum occupantem, & pari impietate Dei legem, iuxta fœdiſsimos ritus domus Achab, vnde erat, corrumpentem. Præclarum quidem facinus. At cuius cōſilio tamē & autoritate geſtum? an concitatis centurionum militumq; animis

[Margin notes: Prouerb. 20. a. — Sap. 17. a. — Matth. 19. c. — Detorquent mira audacia hiſtoriam Ioiadę, licet ſit detortu difficillima: quippe quæ propugnat palam Catholicorum partes.]

animis & impetu? Minimè profectò, sed suadēte atq; præcipiente summoDei Sacerdote, penes quem videre licet, hoc ipso exemplo non solū vindicādæ Dei religionis, sed & regię dignitatis diuinitus poteſtatē eſſe. qui & sua autoritate fretus audacter præcepit suis, vt quicūq; secutus fuiſſet Athaliam, illam impurissimā idololatram, rebellium quoque, Tyrannorum atq; Hæreticorum (nam hæresis quædam idololatria eſt.) expreſſam imaginem, cùm raperetur ad fœdiſsimam mortē, gladio feriretur. Quàm latum verò campum hic nobis aperuerit antagoniſta, nō eſſet nobis explicatu difficile, ſi liberet hîc pluribus inſiſtere ſimul & diſſerere, ſiue de ſummi Sacerdotis auguſtiſsimo officio & ſingulari autoritate, ſiue de verorū Principum ſceptro aduersùs ſeditioſos tuēdo, ſiue de deprimenda Tyrannorum, maximè autem ſanctæ noſtræ religioni inſidiantium audacia, ſiue de futilitate, poſtremò atque malitia potius Miniſtrorum, qui hanc ſcripturam, & eiuſmodi multas tam ſibi in tam multis repugnantes in ſuæ temeritatis præſidium, ex leuiſſima aliqua occaſione detorquere, quoties libet, nihil verentur; diſsimulare verò ea, & arte ſilentio inuoluere, quæ ad comparandam pacem Chriſtianis dignam, magnæ virtutis eſſę putant. Pepigit ſummus Dei Sacerdos fœdus inter ſe, ſiue (vt iam dictum eſt) inter Deum, Regem, & Populum, & vt populus ſit Domini. Habet igitur ius in Regem delinquentem populus, vt in populum habet Rex. *At circa religionē tantùm ais: idq; his legibus. Primùm ſi verbis tātùm & diſputationibus agat Princeps aduersus veritatem verbis & diſputationibus* (addo ego & liberrima omnium confeſsione.) *illi obuiandum eſſe*. Et rectè quidem. Nam ſicut corde creditur ad iuſtitiā: ita ore confeſsio fit ad ſalutem. Aliter enim credere eſſet Selchiſitarum hæreſin incurrere, atque aliter denique facere eſſet omne fidei meritum amittere. Nam qui erubuerit me, & ſermones meos coram hominibus, dicit Dominus, erubeſcam & ego &c. Deinde quod addis, ſi verò dolis agat aduersùs veritatem ſerpentina prudentia, rurſus eſt ipſi reſiſtendum, vtriſque vlnis amplector. Nam verè Chriſtianos non minùs prudentes in bono, quàm ſimplices in malo eſſe conuenit. Sed quod tandem de gladio aſſeris. *Si veritatem*, inquiens, *gladio Princeps perſequatur, eodem gladio populum veritatem defendere oportet*, libenter cuperem iſtud, expreſſo Dei mādato (ſine quo aliâs crebrò docetis nihil in religione tentandum) à te oſtendi. Videor enim mihi, animali ſaltem ſpiritu concitato, aliquid

Deiicitur regno, & occidit Athalia, autoritate & iuſſu ſummi ſacerdotis.

Athalia qualis.

Magna indulgētia hic oſtenſa Aduerſariis.

Ro. 10. c.

Confeſsio veræ fidei ad ſalutem neceſſaria.

Luc. 9. d.

Non poterit oſtēdi ex ſacris literis, populo gladium commiſſum eſſe aduersùs Principem.

aliquid tale probari poſſe, ſummopere velle: Sed occurrit mihi ſtatim illa Domini ſententia, ſufficit diſcipulo, vt ſit ſicut Magiſter eius; ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.

Matth. 10. c.

Multa ſunt eiuſmodi, quæ vt cum Chriſto propter iuſtitiam patiamur, vt illius crucem ferẽdo tollamus, vtq; poſtremò Euangelicam gratiam, Chriſtiq; virtutes liberiùs confeſsione ad mortem vſque conſtanter annunciemus: ſed vt pro Chriſto gladium aduersùs Magiſtratum cum Petro tollamus, non lego.

Creuit hactenus Eccleſia libera ſidei confeſsione & innocuo martyrum ſanguine.

Creuit hactenus, atque conſeruata ſemper eſt Eccleſia innocuo ſanguine patientium, nunquam verò gladiis hominum maximè ἀχεφαλῶν legitimo Principe & autoritate deſtitutorum, aut perſequentium, aut defendentium. Graue profectò telum eſt verè Chriſtiano militi, qui in omnibus ſanam conſcientiam Deo offerre ſtudet, verbum illud: Qui gladio percutit, gladio peribit.

Matth. 26. c. Quis gladio percutiens gladio peribit.

At verò, cùm quiſquis non legitima autoritate armatus gladio, vel vnum hominem percutit, indubiè periturus percutit: quanto ſtudio euitandum eſt pacifico Dei filio, ne in inſanientium hominum furores conſentiat, quorum væſania tot hominũ milia ab exorto Luthero, excitato bello cõtra legitimam poteſtatem, atque ideo planè contra diuinam ordinationem, interière.

Quot hominum milia ab exorto Luthero, contra Dei ordinationẽ pugnantes, interière.

At quo titulo? non alio profectò, quàm vindicandæ Euangelicæ libertatis. Si memoriâ iam nobis excidit, bellum ruſticorũ, qui hoc titulo ſibi excutere dominorum iugum ſummopere, ſed fruſtra tentârant; at certè gallici furores, & multò minùs Belgarũ iã Eumenides, quæ indies, prô dolor, atrociores eſſe videntur, tantùm non ante oculos verſantur. Et tu ſceleratiſsime, hæc omnia, vt veritatem hiſtoriæ iam Regis Ioas diſsimulas, quaſi neſcius? aut ſi ſcis (quî fieri quæſo poſſet, vt neſcias.) vis patriæ proditor tanto malorũ, & ſacri imperij perniciem ſciens, & volens rurſus in Germaniã reuocare?

Gladius, quem cudit Aduerſarius ex hiſtoria Ioas plane arundineus.

Nam illud, quod de coronatione Ioas & fœdere tunc inito mutilatim attuliſti, ſicut plurimum contra te, tuosque rebellionum ſocios, ſi ſincerè & integrè citâſſes, facit: ita iſtũ tuum gladium, quem in Principem tuo more cudis, non plumbeum modò, ſed arundineum potiùs, qui, cùm ſit in hoſtem inutilis, non leuiter percutientis manum vulneret, planè conficit.

Addis, & rectè quidem, *par eſſe, vt ſubditi ea omnia, quæ à Principibus & Magiſtratibus imperantur, liberè præſtent, vectigalia cæteraq; munia & id genus officia; modò non ſint illa aduerſa Dei mandato:* verùm quid ſi id, quod Deus fieri mãdat, tu fieri prohibeas, & à Deo mãda

da

dari neges? Exempla petis? sint ea omnia in religione hodie controuersa, quæ sancta Ecclesia Catholica, illa, inquam, Ecclesia, vt non cauilleris, quæ ante 1000. annos aduersus omnes veterum Hæreticorum phalangas toto orbe obtinuit, & hucusque triumphauit, atque id iuxta Dei verbum & sacras literas, quamuis tu id non videas, præcipit vt amplectaris. Nam, vt Ecclesiam audias, expressum Dei mandatum est; præcipit igitur pientissimus Cæsar, vt nouæ Synagogæ Sectariorum nusquam extruantur, &, si extructæ iam sunt, protinus diruantur. Tu dicis, eum interea, quamuis ex ore Domini loquentis, per suam vbiq; dffiusam Ecclesiam, is sanctè præcipiat, Dei mandato resistere. O cæcitas! ô impudentia! ô insignis contumelia ipsi Dei verbo illata! Nam dicere, nondum rectè prædicatum esse Christum, Euangelij gratiam nondum sincerè gentibus annunciatam, Ecclesias nusquam sine errore erectas & institutas hactenus fuisse, quæ quæso contumelia in Dei verbum esse potest, si hæc non est? Ita enim Prophetæ & Apostoli nos suis scriptis fefellissent. Ita enim & Dominus ipse dicens: Euntes docete omnes gentes, tam immorigeros discipulos habuisse conuinceretur, quàm Cæsar iam ex ministris istis habet subditos. Si dicant hæc omnia rectè ab Apostolis semel facta, sed postea nequitia hominum fuisse eadem deprauata: ostenderent sanè vbi, quando, & apud quos: aut vbi saltem, apud vllam gentem extitisse aliquando istam Ecclesiã, cuius membra sese esse somniant. Est profectò merum somnum dicere se, cùm vel reuera, vel figura saltem homines sint, esse inuisibilis alicuius Ecclesiæ membra. Attamen ita somniare se fateri coguntur, cùm adeò & secum & inter se pugnent, vt non modò nullam apud veteres, posteriores, aut recentiores Ecclesiam inueniant, qui cum simul isti consonant, vt ne Sacramentarij cum Sacramentariis, Euangelici (Cacangelici dicerem) inter sese, Anabaptistæ cum ipsis Anabaptistis conuenire conspiciantur. Facessant igitur in malam rem ad suas Chymmericas tenebras, ad suam Ecclesiam inuisibilem (vtinam inuisibiles, sicut & illorum magistri, & ipsi) vt nos tandem aliquando in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius, in monte, in vertice montium sita, atq; vsque adeò conspicuo, vt abscondi non possit improborum molestiis aliquantulum liberi, in pia tranquillitate, quod reliquum est nobis temporis, cum piis Principibus nostris viuamus.

Quæ præcipit Deus, prohibere ministros, probatur consensione veteris, & quę hactenus vbiq; floruit Ecclesiæ. Matth. 18. b.

Dicere Christũ iam primũ prædicatum, quantã infert Dei verbo contumeliam.

Euangelium semel prędicatum, nunquam posteà suppressum.

Nullam animorum consensionem esse Sectariis, nec secũ, nec inter se, & multo minorem cũ vetere, aut vlla Dei Ecclesia: Ideoq; sibi effingere Ecclesiam inuisibilem. Psal. 47. b. Matth. 5. b.

Quàm præstigiatoriè prætervolant historiã Dauidis Regis.

Neque mihi temperare possum (quantumuis propero, vt his næniis finem imponam) quin commonstrem semel adhuc huius præstigiatoris laruam: eò maximè, quòd regium etiã Prophetam Dauidem expressissimam omnis boni subditi imaginem, in suæ rebellionis patrocinium adsciscat. Adferam vt videar sinceriùs agere, & ipsius hominis verba: Scribit igitur in suorum defensionem his verbis. *Non agunt hi nostri homines inhumaniter*: Expectaui vt diceret eos agere humanissimè: *Neque enim bella cient, neq; quenquam ad ea prouocant*. falsissimum. Nam ipsi sæpe priores (vt ex rebus apud Gallos, Anglos & Scotos, postremò & apud Belgas pridem gestis clarè constat) suos Principes inuadunt. atq; id, vel dum ipsi priores ad arma volant, vel dum humanas & diuinas leges fœdissimè violãt, Principes, nisi malint ij non iam Principes, sed illis subditi statim videri, scelerum vindictam, atque eam, si lege nequeant, gladio reposcant. Vnde rebelles ipsos ciere bella, & Principes inaudita audacia ad ea prouocare constat. *Sed quando contra omnem æquitatem & iustitiam velut inuiti impelluntur.* Hoc est dicere album nigrum, & nigrum album, cùm neque Pontificias, neque Cæsareas leges, vnde æquitas & iustitia potissimùm elucescit, agnoscunt. *ipsi quoque gladium arripiunt*. idque ab initio suæ rebellionis in Europa, ad multò maiorem sui ipsorum quàm aliorum cladem. quippe qui nusquàm commisso prælio (de leuibus incursionibus non loquor) tanto tempore, res mira, superiores euasisse memorantur. *non quòd hominem quenquam offendere cupiant: sed tantùm, vt se suosq; defendant.* O pietate insignes viros, nisi manus innocentum sanguine maderent: *atque ideo finita statim persecutione gladium recondunt, hastas & enses abiicientes, iterumq;, vt suis Magistratibus reconcilientur, curant: non ampliùs cædibus inhiant, quàm animum mansuetum sentiunt; idq; rectè & iustè.* Cur non & sanctè & piè & magno charitatis affectu? Similitudine id primùm probat, deinde & autoritate, ne videatur sine expresso Dei verbo loqui, *Vt enim seruus prudens*, ait, *non ideo reprehendendus est, cùm videt furore Dominum suum insanire, qui ad tempus se occultat, expectans donec ira Domini sui mitescat; facit enim tandem omnia ad arbitrium illius.* Quàm appositè similitudinem suo aptat instituto. quin potiùs in hunc modum aptiùs multò atque veriùs concinnâsset. Vt seruus ferocior iratum meritò sibi Dominum, & verbera iustè comminantem fustibus insigniter excipit, donec ille remissa omni iniuria, sibi pote-

Rebelles priores belli autores.

Legum contemptores ineptè & ineruditè prouocare ad æquitatem.

Sectarios nullo prælio nostro seculo euasisse superiores.

Simile moribus aduersariorum valde dissimile.

Inuertitur, vt fiat simile.

ſtatem faciat viuendi deinceps, vt vult. Ita & noſter populus idololatras (quis feret?) Principes rectè tractat, ita vt impoſterũ nunquam ad illorum arbitrium ſe componant. *Ita multò minùs*, ait, *prouinciarum ordines & ſtatus (qui non ſunt ſerui, neque cerdones, ſed ſubditi) videntur reprehendendi, quando Principum ſuorum iniquis poſtulatis non annuunt, quouſque in meliorem viam trahi poſſent.* Iam oblitus eſt ſuæ religionis, cùm de iniquis poſtulatis in genere ſermonem ingerit, de qua ſola initio dicebat, ſe fuiſſe ſolicitum; & in qua ſola non annuere, Principum iuſsis fas eſſe putabat. Sed nunc meminit, ſcio, centeſimi aut decimi bonorum nummi (vt loqui ſolent) in defenſionem religionis à pio Principe alicubi petiti, aut alicuius alterius, vt putat, iniuriæ. Sed quàm atrocem iniuriam inſipiens populus miniſtrorum ſuaſu ſibi infert, cùm reiecta cedro Libani, ſibi ſylueſtrem rhamnum in Principem eligit, quis non videt: cùm in ſui interitum duplo aut triplo bonorum plus huic, quàm illi vnquam pro ſalute, tribuere cogũtur. Sed audiamus, vnde iſta omnia, quæ aſſerit, probat. *Quod*, inquit, *& Dauid feciſſe legimus*, at qua ratione, te obſecro, candide iudex? *qui ſe omnibus viribus*, ait, *humanis contra Saul Regem armauit atque muniuit:* Itáne virum ſecundùm cor Dei in Catalogum reſiſtentium diuinæ ordinationi clanculum introducis? Tu fruſtra hoc tentabis. Neque tu id apertè audes, ſcio, tanto ſcripturarum fulgore attonitus: atque ideo ineptiſsimè, vt videreris aliquid dicere (aut potius aliquo verborũ fuco, Dauidis hiſtoriam, quæ tam diſertè tuam væſaniam coarguit, declinares) dicis, cùm aliter non poſsis, *non quidem vt ipſum Regem inuaderet, ſed vt ſe contra iniquam poteſtatem tueretur.* habemus ſanè gratiam. Sed quid ad Bythum? Sed quid ad tuum inſtitutum, qui doces ſubditos in ſuos Principes, ſi miniſtrorum cenſoria virgula, iniqui quicquam (quamuis ſit illud & æquiſsimum & ſanctiſsimum, veluti adorare cum fidelibus, verbi cauſa, Chriſtum Dominum in Euchariſtia præſentem) præceperint, armatos ſtatim inſurgere. At quid verò noſter Dauid? primùm id, quod non ſolùm nulla lex in quouis homine redarguit, ſed quod natura omnium animantium generi indidit, vt ſe vitamque ſuam tueretur, ſtuduit; deinde id, quod non modò non cætera animantia, ſed ne homines quidem, niſi ipſius Dauidis ſpiritu afflati, facerent vnquam. Illud, quod agnouit tandem immanis hoſtis, iniquiſsimus & ingratiſsimus Saul, dicens; Quis enim, cùm

De iniquis Principum poſtulatis, quæ æquiſsima videbuntur, dum conferuntur cum poſtulatis nouorũ Principum.

De Saule, & Dauide Rege.

Longè aliter vitam inſtituiſſe Dauidem, quàm rebellium Principes.

Teſtimoniũ hoſtis de Dauide. 1. Reg. 24. d.

 inue-

inuenerit inimicum suum, dimittet eum in via bona? At quisnam ista fecit? Rex ipse à Deo electus. Et cui? homini certè à regia dignitate ipsius Dei sententia reiecto. Et quare? propter vnctionem, quam non putârat sanctus Dei in vncto semel Rege, vi vlla tantisper dum viueret, violandum. Audiuimus iam ministrum, audiamus & nunc Dei Prophetam, suæ sententiæ testimonium proferentem: qui, tradito iam sibi, quasi diuino quodam nutu, inimico ipso inimicissimo Saul in manus, cùm vrgeretur à suis, vt vltionem illatarum iniuriarum iam tùm caperet, respondit in hęc verba: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo, Christo Domini, vt mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est. Et addit hæc præterea. Viuit Dominus, inquiens, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius venerit, vt moriatur, aut descendens in pręlium perierit: propitius mihi sit Dominus, vt non mittam manum meam in Christum Domini. Censebitur ne iustè nobis, non tam artificis ingenij, quàm temerarius, audax & meretriceæ planè frontis homo, qui ex hac historia pij Dauidis tantùm regiæ vnctioni in homine licet iniquo, impio, atque sæuo breuiter tyranno, deferentis, ad concitandam in legitimos Principes, tametsi iniquissimos seditionem, argumentum ducat? Sed ludant isti suo more & sua scelera scripturarum foliis, nomine, atque cortice subdolè contegant: nos, qui Catholici, orthodoxique, nominamur, & secundùm fidem electorum Dei verè sumus, persuasissimum nobis argumentis quidem certissimis habemus neminem nostro seculo aduersùs suum Principem sanctissimi Dauidis exemplo; sed potius, Deo Regum iam delicta vt olim vindicante, in star Adad, Idumæi, Razon quoque latronum Principis, atque schismatum prototypi impij Ieroboami, bella mouisse. Hi enim tres ipsum Salomonem, cùm in senectute per amores insanos, atque etiam gentilitios errores, quos in mulierum gratiam ingratissimus amplexus est, Deum ipsi munificentissimum ad iracundiam lacessisset, diuina iustitia permittente, armis turbare cepêre. Et verendum certè est plurimum, ne præter commune multorum Principum malum τηνφιλογυνείαν & mulierositatem nostri seculi, quidam orthodoxi alioqui Principes ab idololatriæ cuiusdam crimine non sint omnino immunes: Princeps enim, cùm manifesta scelera gladio suo, si posset, non cohibet, ipse perpetrare quodam modo vide-

[Margin notes:] Testimoniū Dauid contra rebellionū ministros. Ibidem b. — Mira impudentia. — Non Dauidem rebelles imitari, sed Ieroboamū, Adad & Razon Principem latronum. 3.Reg. n. d. c. — Mulierositas cōmune multorū Principum malum,

videtur. Non loquar de idololatria illa crassa, quam crassiore ingenio aduersarij falsò Catholicis affricare student; sed de idolis hęreseôn, in quibus temporiùs subuertendis minùs seueri quidam alioqui non mali Principes fuisse creduntur: Quorum oscitantiã, cùm non satis exosam habeant posteri, non iniuriâ rebellionem subditorum interim sentire existimantur. Non enim tantam regni cladem passus est à seditiosis & rebellibus Salomon, dum adhuc ipse viueret, quantum abruptis inde decem tribubus post mortem. Sed de his, hoc loco satis.

Quantam idololatriam videri vindicari in posteris.

Nunc superest, vt eam potestatem, qua ex scripturis Rex valet in suos subditos, ne in hoc immenso pelago diutius irrequietè vagemur, paucis delineamus. Cùm igitur vetus ille Hebræorum populus vehementiùs instaret apud Samuelem Prophetam, vt sibi Regem constitueret, meruit primùm audire, monente Domino, ex ore Prophetæ potestatem Regis, seu ius Regium in hæc verba. Hoc erit ius Regis, qui imperaturus est vobis, filios vestros tollet & ponet in curribus suis, facietque sibi equites & præcursores quadrigarum suarum, & constituet sibi tribunos & centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum & curruum suorum. filias faciet quoque vestras sibi vnguentarias, & focarias & panificas. Agros quoque vestros & vineas & olivueta optima tollet, & dabit seruis suis. Sed & segetes vestras & vinearum reditus addecimabit, vt det Eunuchis & famulis suis. Seruos etiam vestros & ancillas, & iuuenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo: greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei serui. Audis ius Regis, ex ipsius etiam Dei oraculo prænunciatum populo petenti sibi Regem. At dices non dubito, si quis Catholicorum Regum hoc iure pleniùs in Christianum populum vteretur, agere eum potiùs tyrannum, quàm Regem; At non aliter ageret, quàm acturum Regem prænunciârat verbum Dei, idque iuxta tuam interpretationem; qui statim initio tuæ explicationis asseris *tuam istam secundam quæstionem, tametsi periculosam, solutu tamen non esse difficilem: sed potius, si sacræ scripturæ tanquam amussi obtemperetur, verùm eius fundamentum facilè inueniri.* Deinde statim subiungis, quibus & te & tuæ sententiæ ministros miserè iugulas. Ais enim in primis: *Oportet hæc omnia pro cognitis & approbatis habere; quòd quidquid Iudæis in vetere Testamento hac in parte concessum, imò mandatum est, illud etiam in nouo Testamento*

De potestate, qua Rex ex scripturis valet in subditos.

1. Reg. 8. c.

Christianis permissum esse. Et rationem subnectis in hunc modum; *Nam Christus in noua lege, hunc ordinem regnorum & principatuum suo Euangelio non sustulit, sed potiùs confirmauit.* Hæc cùm dicis ex fœdere illo (de quo iam abundè diximus) cùm expressiorem scriptu ram excogitare, vt penes populum sit potestas, scilicet Regem errantem in ordinem cogendi, quod moliris, non posses, tam leui argumento tuam infantiam prodis: Infantiam dico; quandoquidem ex eodem fœdere & historia Ioas Regis, vti iam ostensum est, vtque iam statim pluribus ostendetur, potiùs contrarium rectè colligitur. Sed memineris interea velim, quòd nunc dicis, id concessum esse Christianis Principibus, quod olim Hebræis; superiore quæstione, tua Euangelica libertate fretus, dicebas esse perpetuam Dei in vtrisq; ordinationem; quòd & hîc videris etiam confirmare, dum asseris, Christum illa potiùs confirmâsse, quàm abstulisse; quasi eadem ratio concessionis esset, & perpetuæ ordinationis. Conceditur certè Christianis Principibus & aliis Magistratibus, vt secundùm veterem legem, si putent suæ Reipub. vsui esse, iudicia exerceant: dentem videlicet pro dente, & oculum pro oculo, repetant: vt adulterum & adulteram simul morti tradant: vtque virginem eo forsan nomine nuptui traditam, si virgo posteà inuenta non sit, sicut & Pseudoprophetam lapidibus statim obruent: sed Pseudoprophetam ita, vt primò testium manus, deinde & totius populi inuadant eum: quippe quòd non caduca tantùm seculi bona, aut corpora perdat & Rempub. sed & hominum animas interimat. Similiter ex cæremoniis veteris populi conceditur quidem, & nunc fidelibus Christiana libertate fretis, quemadmodum praxis Ecclesiæ vbique declarat, vt in suos vsus nonnullas conuertat: non quidem quæ nunc sint, vt olim typi & figuræ rerum futurarum, sed quæ magis indicent, aut res iam gestas esse, aut quales se gerere deberent fideles, at maximè vt Ecclesiarum Ministros admoneant. Verùm nihil horum sub præceptum & perpetuam Dei ordinationem cadit. Cadit tamen, te iudice, ius illud Regis vetere saltem concessum lege, & primò quidem illîc à Deo prædictum, sub Dei ordinatonem etiam apud Christianos Principes. Et certè tale ius illud videtur esse, vt tu faciliùs discipulos tuos tua solius autoritate, aut ego valde fallor, inducas, vt illud quantumuis explicitè sacris literis traditum contemnant, quàm ipsius scripturæ autoritate volentes amplectantur,

[Margin notes:]
Infantia aduersarij.

Concessum esse, & perpetuã Dei esse ordinationem, differre plurimum.

Concessum esse Christianis Principibus quid circa iudicia.

Concessum Ecclesiæ circa cæremonias.

Ius Regis ex scripturis quale.

ctantur. Et tamen ius Regis expreſso Dei verbo eſſe probatur. Si dicas ius hoc eſſe illius Regis, quem Dominus minatur impio & rebelli populo in correptionem delictorum eſſe ſe daturum, dicens: Dabo eis Regem in furore meo: vt non mordicus contendo, non ita eſſe: ita conſtanter iuxta hanc legem affirmo, populũ Regi eiuſmodi, ſi communi iure (ſanguinis propinquitate vel electione) ſit legitimus, niſi diuinæ ordinationi reſiſtere velit, in omnibus citra rebellionem, quæ Dei cultus admittit, obtemperare debere. At Dei quidem cultus, citra omnem ſui violationem, admittit ea omnia, quæ lex illa vetus circa filios, filias, agros, vineas, olïueta, ſegetes, aſinos & ſeruos, ancillas quoq; atq; iuuenes optimos, in vſus Regis, vbi ipſe volet mancipandos, præſcribit. Si verò Chriſtũ & Euangelium hac in re cõſulamus, audiemus ſtatim initio; Quærite primũ regnum Dei, & iuſtitiam eius, & cætera omnia adiicientur vobis. Inter iſta cætera, nequaquam poſtremum locũ obtinent pij Principes, & boni paſtores. Si verò propter ſcelera noſtra impij Principes, in nos aliquando dominentur, qui iniquis nos tantùm oneribus grauent, modò non impia præcipiant, audimus Apoſtolum: Si quid patimini, inquit, propter iuſtitiam beati. Iuſtum quidem eſt, vt Regi cum timore & reuerentia propter Deum pręcipientem, & per eum in nos manifeſtè dominantem, ſummiſsis animis obtemperemus: atque ideo licet iniquis legibus aliquãdo (quod vtinam rariùs fieret) & in corpore & in facultatibus premat, patienter nobis ferendũ eſt, propter regnum cœlorum: pro quo adipiſcendo, vt pulchrè docet D. Auguſtinus, oportet omnium terrenorum regnorum aduerſitates nos ſuſtinere. quod & ſic probat. hoc enim voluit Deus, ait, per ſuos Martyres atteſtari quorum numerus tantus effloruit, vt ſi eos Chriſtus congregatos vellet armare atque adiuuare pugnantes, ſicut hebræos patres adiuuit, quæ gentes reſiſterent? ſed vt præclariſsimum teſtimonium (ſubdit ibidem.) veritati perhiberetur, quoniam docendum erat, non propter temporalem in hac vita, ſed propter æternam, poſt hanc vitam, felicitatem Deo eſſe ſeruiendum. Præclariſsima certè ſentẽtia, quam ſi amplificare & res geſtas primæuę illius ſeu Martyrum Eccleſiæ, admiranda quadam malorum tollerantia & pietate, per 300. amplius annos, cum iis, quæ horrendo faſtu, rebellione, rapinis, ſacrilegiis & cædibus per annos 50. ſub nouo iſto Euangelio patrata ſunt, cõferre liberet, quot vulneribus hîc facilè con-

1. Pet. 3. c.
1. Pet. 2. c.

Omnia terrena regna propter æternum ipſum eſſe contemnenda.

Lib. 22. contra Fauſt.

Quantum interſit inter ſpiritũ Martyrũ Chriſti, & Martyrũ Caluini.

conficerem Aduersarios, quis non videt? quàm lucidè monstrarem, quantum intersit inter Spiritum Martyrum & verorum discipulorum Christi, & spiritum militum siue ministrorum Caluini? Non enim magis Apostolus piè gloriatur, sibi arma militiæ suæ esse non carnalia, sed spiritualia, & potentia Deo (siue per Deum) quàm isti militiæ suæ arma carnalia esse, subdola consilia, proditiones &c. nec non & potentiâ cruento marte. Nec quisquam Martyrum sibi magis placuit in perdiscendis Pauli Epistolis Dei spiritu exaratis, quàm isti in concinnandis suis pistolletis, Vulcani arte fabre factis. neque illi magis solliciti fuêre, vt per sua arma mortuos redderent Deo viuos, quàm isti per sua, vt Deo viuentes mittant in tartara mortuos.

Vtrorumque collat.

2.Cor. 10. a.

Non tamen eum animum hîc esse, vt ista præstent, asseuerauerim (quis enim tãta malitia obcæcatus est, vt & se & alios videns & prudẽs in æternũ perdat?) sed væsania sua atque improbitate, dum Dei populum in sectas diuidunt, ad rebelliõe, adque tot horrẽda scelera, postremò & ad iniustum bellum omnium malorum pelagus, maximè susceptum aduersùs diuinam ordinationem concitant; illos licet imprudentes ea omnia facere audacter affirmo, atque in eos verissimè quadrare illud sapientis. Est via, quæ videtur homini iusta & bona: nouissima autem eius ducunt ad mortem. Et faciunt quidem ea tantò maiore cum periculo, quantò stultiùs sibi persuadent, se gladio spiritus & verbo Dei, vt tam nefanda tẽtent, esse munitos. Oportere, inquiunt, Deo magis quàm hominibus obedire. At verò Deus benedictus omnibus suis fidelibus, nõ semel per suos Apostolos iubet Principibus & potestatibus, tametsi è gentilitiis erroribus nondum eructis subditos esse & dicto obedire. Quibus, si subditi sunt, iudices sanè, istorum more, non erunt. Rursus si vult Apostolorum Princeps seruos dominis suis non tantùm bonis & modestis, sed etiam discolis, peruersis & asperis; & forsan etiam, vt illa tulerat ætas, infidelibus, in omni timore subditos esse: quales se gererent fideles subditi erga suum pariter fidelem atque legitimum Principem: quamuis is fuerit neque bonus, neque modestus, minimè cuiquam obscurum esse potest? Esto sit Princeps malus: sed tu moneris vt tam bonus sis, vt ne malo quidem resistas; ne malo quidem, inquam, homini priuato, & multò minus Principi: neque malo ab vllo homine tibi illato, vt malum pro malo rependas. Rapit præterea ad se Rex detortis

Imprudentia & mira cæcitas.

Prouerb. 14. b.

Periculosius peccare.

Ro. 13. a. b.

Plus honoris Principi à subditis, quàm Domino à seruis deferri debere.

Matth. 5. f. Resistere malo quid sit?

tortis legibus, tua bona: Sed, non ignoras, scio, scriptum esse: Qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, quem locum si rectè intelligas, vbi nimirum maius malum, si resistas, inde sequatur: nolim non intelligas ex nulla re grauius malum exoriri aut posse aut solere, quàm dum bellum propter eiusmodi querelas, & eas quidem sæpe iniustas, in Principem & Regnum à subditis mouetur. Nam dum regni tuendi vrget necessitas, potest, absoluta sua libertate Rex, quæcunq; in regno habentur, ad regni (cuius ipse, vt à Deo sibi dati, verè Dominus est) defensionem conuertere; neque tunc, neq; aliâs vnquam populus Regi, sed semper Rex populo est à Deo iudex constitutus. Nam necessitate subditos nos esse potestati vult Apostolus: atque id non solùm propter iram siue metum supplicij, sed propter conscientiam; vt ea nimirum impleamus vltrò, quæ à nobis fieri oportet: tributum, vectigal, & honorem quibus oportet tribuendo. Non est enim potestas nisi à Deo: siue sit ea à Deo propter peccata populi in tyrannis permittente, siue ab eodem in piis Principibus ad populi tranquillitatem benignè ordinante. Nequaquam profectò ille, qui capillos omnes nostrorum capitum in numerato habet, sine cuius numine ne passer quidem in terram cadit, regnorum, in quibus ipse latissimè dominatur, curam & prouidentiam abiicere aliquando putandus est. Siquidem dominatur excelsus, vt docet ille, in regno hominum, & cuicunque voluerit dabit illud: & sicut fideli & timenti se populo dat Rectores & Pastores secundùm cor suum, ita & propter peccata populi, regnare facit hypocritam, membrum Antichristi. An tamen eiusmodi hypocritis & tyrannis, maximè si sint alienigenæ aut subditi, qui solia suorum Principum inuadant & occupent, sit etiam propter conscientiam parendum, non immeritò quæri potest, maximè cùm sicut in vetere populo legimus, nobiles illos Hebræorum Duces, Otoniel, Aod, Barach, Gedeon, & Samson, sicut & fortissimos posteà Machabæos suum populum è seruitute vicinorum Regum, quorum sceptro aliquandiu premebantur, cum magna sua laude, vel eripuisse, vel eripere tentâsse: ita rursus & Dei populum Babyloniorũ Regibus summissè diu inseruiisse, & pro regnis eorum conseruãdis sacrificia altissimo obtulisse. Et, quoties noui Reges, extinctis prioribus, in Regnum Israël irruerint, iam commemoratum est. Postremò & quàm infeliciter cesserit res Theudę

Ex nulla re alia maius malum se qui, quàm ex rebellione in Principem.

1. Esd. 1. a.

Rex populi iudex, nõ populus Regis.

Potestas à Deo aliter atq; aliter.

Matth. 10. d.

Dei prouidẽtia.

Daniel. 4. a.

Ier. 3. e.

Iob. 34. d.

Quæstio.

Lib. Iud.

Lib. Mach.

Ierem. 27. b.

Baruch. 1. b.

M illi,

Actor. 3. g. illi, & Iudæ Galilæo, qui Hebræis suasêre, vt Romanorum iugum detractarent, D. Lucas ex ore Gamalielis, suâ historiâ tradit. Accedit, quòd & Christus ipse Rex Regum, cui omnis potestas in cœlo & in terra data est, disertè præcepit tradere Cæsari, quæ Cæsaris essent: sic & quod Apostolus obsecrat, orationes à fidelibus offerri pro omnibus, qui in sublimitate constituti sunt: quod & studiosè fecisse, ipsorum etiam Martyrum tempore, Christianos omnes abundè testantur Ecclesiastici scriptores: quo tempore soli ferè vbique infideles rerum potiebantur. Horum potissimùm hîc memini, quòd aduersarius astruat idem ius prorsus regni esse debere apud Christianos, quod fuerat olim in vetere populo, quo censore nunquam licuisset Christianis agnoscere Regem, nisi virum sui generis, filium Abrahæ, fidelem nimirum. Sed quoniam de his rebus iam nobis non est sermo, sed de obedientia, Christiano & legitimo Principi tantisper præstanda, dum ille non paterna pietate, & æquis legibus, subiectum sibi diuina potestate populum regit, sed tyrannide potiùs & vi multa deprimit: aut in hæresim, aut etiam in perfidiam lapsus, suos in illud malorum barathrum impiis constitutionibus & armis secum pertrahere molitur.

Luc. 20. c.

Aduersario censore, peccassent grauissimè Martyres atq; etiam Apostoli.

Deut. 17. c.

Sermo est, de obedientia ea, quæ præstanda sit regi, licet tyranno aut idololatræ.

Quòd ad priorem quidem partem spectat, aduersariorum pauci sunt, (si sceleratos aliquot Anabaptistas forsan excipias) qui verbo aut scripto illam diffitentur. prędicare enim solent magnis clamoribus, licet reipsa longè aliud loquantur (illi maximè Caluini spiritu rapti) se sua corpora & facultates in debitum Regis obsequium, regniquè tuitionem, modò is ipsis libertatē conscientiæ non adimat, libenter impendere. Addere etiam præterea, vbicunque prima rebellionis suæ fundamenta iacuit, didicêre, neminem se vnquam alium vi vlla impellere, aut impulsuros aliquando, vt quid cōtra suam ipsius conscientiam in religione profiteatur. Verùm vbi firmiùs pedem alicubi fixerint, sicut vulpina fraude irrepunt, ita plus quàm vrsina feritate, hac etiam parte, vt cætera taceam, dominantur. Et si me quis putet potiùs ex affectu, quàm pro veritate mihi satis comperta & explorata loqui, legat gallicarum nō rerum, sed miseriarum, ab exorto illîc Caluinismo scriptores. de tumultibus verò Belgicis, quia furiis adhuc suis deseuiunt, inque ore omnium versantur, nihil dicam. Sed quid dicam de sectæ Caluinisticæ hominibus apud nostros Scotos, qui

Quid primùm hîc concedere solent Caluinistici.

Quid secundò?

Quid postremò faciunt.

volunt videri præ cæteris suis asseclis, aliisque fratribus, singulari quadam modestia & clementia erga Catholicos vsi esse: quippe qui quamuis suo zelo cæteris vbique omnibus, in euertendis Monasteriis, templis & altaribus eruendis, acriores fuerint, nihil tamen Christiani sanguinis, aut minimum quid pro sola religione se fudisse gloriantur, incertus sum. Detrahere profectò ipse, quod absit, veritati, si dicerem eos aliter, quàm vt vulpes in suum regnũ irrepsisse, aut aliter quàm leunculos hactenus regnâsse. Nam cùm initio nihil aliud ab vtraque potestate ambiuerint, quàm vt non cogerentur quicquam committere in religione contra eam, qua vna ostentabant se omnia metiri, conscientiæ libertatem: cætera omnia superioribus potestatibus, cùm ipsi essent pręstare paratissimi, immanissimam asserebant tyrannidem esse, ea libertate, qua soli Deo sunt subiecti, quemquam hominum ipsos priuare velle: maximè cùm nihil aliud quærerent ipsi, pietate scilicet insignes viri, quàm vt extirpatis abusibus, verus veræ religioni restitueretur vsus, splẽdor & autoritas. Sed simul atque his lenociniis, pietatisque prætextu, populum mitiorem, aut stupidiorem veriùs reddidissent; deinde & rerum soli, suppressâ etiam dolis multis regia maiestate, fuissent potiti; protinus negauêre, suo ipsorum iudicio tyranni maximi, cæteris omnibus quàm ipsi fuerant aucupati, libertatem conscientiæ. Ipsi etenim tunc soli filij & hæredes Dei: alij autem idololatræ, proinde libertate nulla donandi, sed igne potiùs, & gladio resecandi. Quod autem à gladio, de hortantibus præcipuis ministris, sibi temperâssent: id suæ leuitati tribuendum esse existimauêre. aut forsan summam illam impietatem, qua in sacra omnia desæuiebant, aliqua in cognatos & suos populares pietatem contegendam esse sunt arbitrati. At quantum intersit, si quis gladio palam cum sui periculo, an fame & alia tyrannide cum summo status sui discrimine securiùs percutiat, qui quid sapit, nõ ignorat. Nam bonis, possessionibus, & honoribus eum, qui cum sua secta non communicaret, priuare, eundemque in exilium tale relegare, vt neque apud quenquam hospitio intra regni ambitum exciperetur, neq; sibi voluntarium exilium eligere, vel relictis cognatis & amicis & dulci patria, & bonis omnibus ad exteros emigrare permitteretur, mira modestia, leuitas & clemẽtia est habita. Neq; tunc proceres aliquot regni, quo suæ cõsulerent cõscientię, ab hoc nouo principatu vllis precibus, quod antè minimus mini-

De modestia, qua sibi placent Caluinici in Scotia.

Sibi solis tãdem libertatem conscientiæ vendicant, aliis omnibus adimunt.

Imago regni, qd moliuntur aduersarij.

Suo ipsorum iudicio tyrãni maximi.

Quare à gladio, indignantibus præcipuis ministris, sibi temporauerint.

Gladio alio sibi cauentes sunt callidè vsi.

Leuitas magna indicata.

 stellus

stellus ex sartorum, pistorumque grege, sibi diuino & humano iure deberi affirmabat, impetrare potuêre. Tunc cùm optima Regina, vt suos, ingruente sæua rerum tempestate, à sanguine & cædibus aliquo antidoto muniret in rebellium gratiam, multa, quæ ipsi nunquam initio fuissent ausi petere, volens nolens permisisset, plurimosque ex eorum primoribus amplissimis dominiis, honoribusque, quibus feros animos sibi deuincire studuit, cumulâsset: pro indulgentia illa nimia, à ministris nulla ratione læsis, nisi quòd meritò perhorresceret in illorum verba iurare, prædicata est palam idololatra, hostis Euangelij, Iezabel, & Athalia: ab aliis autem profusa quidem illius munificentia lasciuientibus, alia obtenta causa, quam probare nunquam poterant, in carcerem est coniecta, diademate spoliata, postremoq; cùm illinc euasisset, & è regno armis expulsa.

Quid interea Regina.

Ita tractari cupit Aduersarius omnes orthodoxos Principes, maximè autem eos, qui sectas prohibent in Dei Ecclesias introduci, quare? quia sunt idololatræ. Ad quam sententiam primùm dicimus, si verè illustrissima illa Regina, cuius iam meminimus, sit ratione reiectarum opinionum Lutheri & Caluini, idololátra: 79. illi Reges Christi nomen ante illam professi, quibus ipsa in regnum successit (è quibus nullus vnquam à communi fide Ecclesiæ legitur aberrâsse) fuerunt ad vnum omnes idololatræ. Addo preterea, si ipsa idololatra, sunt etiam, quibus sacra vere fidei communione ipsa associatur, clementissimus Cæsar, Reges, Christianissimus atque Catholicus, cæterique vbique orthodoxi Reges, aliique Principes similiter idololatræ. Si verò illi sint hodie tales, fuerunt & idololatre pientissimi illi Cæsares, Constâtinus, Theodosius & alij: quorum legibus iam satis ostendimus, nostri seculi præcipuas hæreses palam fuisse olim damnatas. A quorum tramite in orthodoxa religione nulli posteriores Principes, preter paucos Arianos, & Iconoclastas, diuertisse traduntur. Quare, si vera esset sententia nouatorum, sequeretur illud horrendum quidem auditu, nullos ante hoc seculum fuisse aliquãdo Christianos Principes, sed omnes idololatras aut hæreticos. Imò ne ab ipsis quidem Apostolis (vt vltrà non progrediar) fuisse aliquando vllum Christianum populum; siquidem populi & Principum eadem semper fuit fides, eadem & religio.

De idololatria.

Regina numero Regum Christianorũ Scotiæ 80.

Quã abominanda absurditas sequeretur, ex cõmuni ministrorũm doctrina.

Iam tandem venio ad præcipuum quæſtionis caput, quod eſt: ſintné ij, qui Catholici Principes dicuntur, Cæſar, verbi cauſa, Reges atque alij, quatenus ſunt idololatræ, armis & martis ferocia, ſi conſilio fieri non poſsit, ab erroribus reuocandi? (Neque volo, vt calumniam hîc mihi importunè quiſpiam ſtruat, cùm Cæſarem & cæteros orthodoxos Eccleſiæ Dei Principes, aduerſarij nomine & opinione aſſeram) eſſe idololatras, cùm ille tantùm conditionata locutione vtatur. Nam quis, oro, Catholicus, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ membrum, ſit Princeps ille, aut priuatus homo, qui ab vlla ſecta noſtræ ætatis non cenſetur idololatriæ crimine obſtrictus? Eſt igitur & Cæſar ipſe idololatra, ſicut & Catholici, cæteri Reges & Principes, Romanam fidem, proinde & orthodoxam & Catholicam profeſsi. Qua cenſura non ſe Eccleſiæ filios, non miniſtros, ſed iudices & vindices, imò Reges Regum & dominos dominantium, inaudito faſtu conſtituunt. Cur verò ego ita cenſuerim, obſeruet mecum, obſecro, candidus lector. Qua, precor ratione cenſebimus eos Eccleſiæ filios, aut Dei miniſtros, qui ſibi impudentiſsimè ius, vniuerſam & priorẽ & præſentem Eccleſiam iudicandi, ſicut & condemnandi autoritatem? aut quo iure communi tantùm Chriſtianorum Regum, Principumq; autoritate ſe valere putant, qui, quòd cæteri Reges & Principes in primis pium eſſe ſuis legibus (exempla priùs abundè ſunt poſita) declarârũt, horrendum in modum ita impium decernũt, vt, qui aliter quàm ipſi de iis rebus iudicium ferunt, gladio, vt idololatræ, ſint exterminandi? an quiſquam tam obtuſa mentis acie eſt, qui hæc non videat?

Omnes Catholicos, opinione omnium ſecta-riorum eſſe idololatras.

Miniſtros ſe Reges Regum conſtituere.

Porrò, fingamus ita eſſe, quod deliri iſti iam ſomniant, Chriſtianum aliquem Regem in nonnullam idololatriam, addo etiam in apoſtaſiam, delabi, & ſubditos quoq; pro virili in ea ſcelera ſecum pertrahere ſtudere: licetné continuò ſubditis, bello talem Regem aggredi, regno eiicere, aut morti tradere? licet profectò, ſi Dei verbo præcipitur. licet, ſi idem ius populo in Regem hoc caſu concedi probetur à Deo, quòd Regi in populum. licet poſtremò, mea quidem ſententia, ſi aliquo probato exemplo, vel in vetere, vel in noua lege, oſtendatur, hoc feliciter & cum laude factum aliquando fuiſſe: Sed cùm nihil horum, niſi fallor, oſtẽdi poſsit, quid obſtat, quo minus tutiorem & propinquiorem viam ſaluti & noſtræ & patriæ potiùs inquiramus, quàm cædib9 & ſanguine omnia

An in Regẽ idololatram, aut apoſtatam liceat populo bellum mouere.

fuissemus, quàm direptionibus & spoliis terram in solitudinem redigamus? Nunquam enim contingit, vt à legitimo Rege quantumuis improbo, & tyrannicè imperante regnum dissipetur, vt intestino bello, maximè autem subditorum in Regem rebellione dissipari solet. In rebus dubiis & incertis, maximè si summis cum periculis sint coniunctæ, per tutiorem viam omni homini, nisi insipienti & temerario, incedendum est. Tutior enim via proculdubio & expeditior multò est, si impius aliquis eiusmodi tyrannus pro pio Rege in Dei populum insurgat, nos nobiscum recogitare illum, in cuius manu sunt corda Regum atq; iura regnorum, sicut propter peccata populi regnare facere hypocritam; ita propter peccata terræ, multos constituere Principes eius: ita vt tumultuetur nonnunquam populus contra Regem, sed & in populo puer contra senem, & ignobilis contra nobilem; atque ita demum ipsi à peccando desistētes, & veris lachrymis Deum Principem Regum terræ placantes, mereamur tandem à melioribus regi dominis. At quid dixi ego, eam rem esse in religione dubiam, de qua aduersarius nihil ad suum institutum proferre valet è scripturis? si populo potestas est castigandi Regis à Deo concessa, è qua scriptura? Taceo ego, quod repugnet naturę & ordini rerum, vt corpus dominetur in caput, vt pedes oculo monstrent viam. Sed adduxit scripturam de fœdere illo, quod Dei Sacerdos in coronatione Regis Ioas inierat, inter Deum, Regem & populum. Quid multa? si nihil aliud habet, nihil omnino pro se habet; imò contra se, quod habere putat, imprudenter in medium adfert. Nam si accepisse se populus in Regem potestatem existimâsset, an non aliquando, & tunc maximè, cùm idololatram Ioas ipsemet manifestum se prodidit, illud ipsum argumento aliquo significâsset? aut si populus ille Hebræus quouis tempore à Mose ipso ad Christum Dominum hominem factum penes se hoc ius esse credidisset, cùm tot essent idololatræ Reges, & in Iuda & in Israël, an verosimile est eos perpetuò sua iura dissimulâsse? At dices ipsum Ioas Regem è seruis suis pcussum fuisse. Ita est, sed à quibus seruis, an à statibus regni, an à Ducibus prouinciarum, an à populo suo? Nequaquam, sed à duobus proditoribus, non quidē genere Israëlitis sed alienigenis, Iosachar, Moabita, & Iosabath, Ammonita. Verùm de facto non quærimus, sed de iure. Occiderunt impij Iudæi suum omniumq; regem, ipsum Dei filium; sed quia innocentem,

[Margin notes:]
Isa. 3. a.

An populo potestas castigandi Regem.

In fœdere illo inito, dum coronaretur Ioas, populum nullum accepisse ius castigandi Regem, neq; ante à Mose.

Ioas Rex percussus à seruis, proditoribus alienigenisque, sed postea iustè priuatis.

tem, & de ipsis optimè meritum, atque ideo iniquitatis suæ iure dedêre pœnas. occiderunt & illi suũ Dominũ, non quidem innocẽtem, sed impiũ & crudelem: sed quia ipsi non habebant, eam in rem, potestatem vllam sibi desuper datam, licet fortasse non impium zelum habuerint, luêre & ipsi suæ temeritatis satis acres pœnas, idquè vero iudicio, testante scriptura: quæ Amasiam regem commendat, qui cùm illos occiderit, non tamen occidit eorum filios: quoniam id lege prohibitum erat, vt filij nimirum portarẽt iniquitatẽ Patrum. Sed qua de causa insurrexerunt isti in Regem suum Dominum? non quidem propter commissam ab eo idololatriam, sed propter Regis ingratitudinem in vltionem sanguinis optimi Sacerdotis Azariæ filij Ioiadæ, quem Sacerdotio magna cum laude fungentẽ impius & ingratissimus Rex oblitus tot tantorumque Ioiadæ beneficiorum occidi curauit. Nec illi, quos iam ostendimus in Salomonem extulisse se, quicquam de illius idololatria obtendêre: sicut nec 10 ipsæ tribus, quæ postea eius filio Roboamo sese opposuêre, quicquam de patris filiiué idolis, sed de imposito sibi tantũ grauissimo iugo à Salomone conquesti sunt. Occiderunt idololatram Amon Regem Iuda eius serui, sed quid scriptum est? Percussit autem populus terræ, ait, omnes, qui coniurauerant contra Regem Amon, & constituerunt sibi Regem Iosiam filium eius pro eo. 4. Reg 21. d. hæc de Regibus veteris populi hoc loco commemorâsse sit satis.

4 Reg. 14.

2. Paral. 24. f

Quid iuris regibus conuenit ex nouo testamẽto.

Nunc igitur postremò, si quæ Regibus, coruscante Euangelij luce, vel ex sacris literis, vel ex ipsa perpetua Ecclesiæ praxi & cõmendatione optima scripturarum interprete, concessa sint, consideremus, multò minùs illud subditorum ius in Regem quãtumuis delinquentem, quod moliuntur Reip. Christianæ turbatores, apparebit. Nã Doctor ipse gentium, cùm diffusè de his rebus disserit, multa quidẽ docet, de necessaria nostri sublimiori potestati subiectione; at de corrigenda potestate à subditis nihil audio. Verba Apostoli sunt hæc: Omnis anima, (id est homo) potestatib⁹ sublimioribus subdita sit. Ego per subditum esse, intelligo non parẽ, non censorem, non iudicem, non denique castigatorem & Dominum esse; sed ita subiectum, vt si iniquissima patiatur à legitima potestate, patienter ferat, & confidat, non in suis armis, & brachio virtutis suæ, sed in Domino, qui verè eum indè eripiat. Nam si ita fideles, animo affectos esse erga omnes homines vult Apostolus,

Rom. 13. a. b.

Subditum esse quid sit.

vt pacem, si fieri posſit cum omnibus nutriant, multò magis profectò erga ſuos Principes. Scribit igitur paulò ſuperiùs idem Apoſtolus: Si fieri poteſt, quod in uobis eſt, cum omnibus pacem habêtes. Non voſmetipſos defendentes charisſimi, ſed date locum

Ro. 12. d. Heb. 12. d. irę; Scriptum eſt enim, Mihi vindictam & ego retribuam, dicit Dominus, De ſubiectione verò rationem ſtatim ſubdit Apoſtolus: Nō

Ro. 13. a. b. eſt enim, inquit, poteſtas niſi à Deo. quæ autē ſunt à Deo ordinata ſunt. ſi verò ſis rebellis, aurem adhibe iis, quæ ſubnectit. Itaque, ait, qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Nam Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. vis autem non timere poteſtatem? Bonum fac & habebis laudem ex illa. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time, non enim ſine cauſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt: vindex in iram ei, qui malè agit. Ideoque neceſsitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Hactenus ſpiritus Dei ex ore Apoſtoli. Si dicas ita reſiſtendo te non malè agere, ſed rectè, piè & ſanctè ſinceram Dei religionē vindicare, vel tuo ſpreto ſanguine ſtudere. Sed id negat Rex, qui tibi iudex eſt, non tu illi. negant & Dei Sacerdotes, qui non minus Regi in religionis negocio iudices ſunt, quàm tibi. negat & tota fidelium antiquitas, proinde & Dei Eccleſia, quibus palam conuinceris eſſe rebellis Deo, Eccleſiæ, & Regi, atque ideo æternam damnationem tibi, niſi maturè reſipiſcas, acquirere. Verùm finge ita eſſe, vt iam dictum eſt, Regem eſſe iniquisſimum, impium, imò & idololatram, addo & Apoſtatam, oſtende tibi gladium aduersùs illum à Deo conceſſum eſſe; Nam ſi gladio percutias, iterum dico, niſi gladij poteſtate ſis donatus, gladio te iuſtè periturum declaras.

In miniſtrum ſuæ ſententiæ addictū grauisſimum quidem telum.

Audiuimus hunc Apoſtolum verè magnum, audiamus & Apoſtolorum Corypheum & Principem. Subiecti igitur, ait & hic, eſtote omni humanæ creaturæ (ſiue ordinationi, vt iam diximus) propter Dominum. propter Dominum addit, cuius omnipotentis imago in ſuperiore potiſsimùm poteſtate relucet. Deinde in hoc genere ordinationis ſiue poteſtatis, quam ſecularem vocant, Regi primas partes, ſecundas deinde & iis, qui ab ipſo mittuntur, attribuit, dicens: Siue Regi, quaſi præcellenti, ſiue Ducibus tanquā ab eo miſsis. quod ſtatim addit, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, oſtendit non quod ſemper fit, ſed quod à bonis

De Principe idololatra vel apoſtata.
1. Pet. 2. c.
Imago Dei in ſuperiore poteſtate.

nis fieri debet. Si verò èdiuerso fiat; si maleficos laudent mali Principes, & in bonos deſæuiant; an vim vi libertinorum in morem, iuxta Apoſtoli decretum, repellere, ſi poſsis, licebit? non equidem lego, ſed illud, quod ad Chriſtianam modeſtiam, & ad illam patientiam Martyrum (qui tolerando feliciter propagauère Eccleſiam) ſpectat, tantum lego: Quia ſic eſt voluntas Dei, inquit, vt benefacientes (non cædibus & ſanguine omnia opplentes, cœlumq; terræ martio furore commiſcentes) obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Si Catholici Principes imprudentes & adeò ignari ſint, vt inter Dei cultum & tetram idololatriam diſcernere neſciant, an non noui iſti Gnoſtici Apoſtolum hîc ſapiunt, miraque bonorum operum luce, omnibus benefaciendo, imprudentium oculos probè præſtringunt? attonitos & mutos reddunt? vt, quod contra eos muſsitent, non habeant? Et forſan ita eſſe deierarent, & perſuadere nobis niterentur, niſi nemo tam ignarus eſſet, præter aliquem, hæretico forſan ſpiritu excæcatum, qui neſciret direptiones & ſacrilegia, ſeditiones & cædes, inceſtus & vltrò violata vota, ſancti matrimonij & cæterorum omnium Sacramentorum profanationem, ſectas denique, & Regum & regnorum proditiones, horrenda eſſe ſcelera: & eò magis horrenda, maioreque cum diſcrimine coniuncta, quo pertinaciùs ab iſtis creduntur eſſe virtutes. Hoccíne eſt, quod tam ſeriò ſuis diſcipulis commendat hîc Apoſtolus, vt ſint nempe liberi, & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem, ſed ſicut Dei ſerui? an potiùs, quod alio loco de ſectariis idem tradit, libertatē, inquit, illis promittentes, cùm ſint ipſi ſerui corruptionis? Vult hoc loco breuiter nos Apoſtolos eſſe, vt Dei ſeruos: non tales profectò, quales hodie vbique ſeſe venditant, non quales Dei ſpiritu prænunciatum erat, futuros refractarij ſpiritus homines: quippe qui ſui ipſorum ſint tantùm, amantes ſuo ſenſui & affectibus addicti, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus nō obedientes, ingrati, ſceleſti, proditores, præcipites & tumidi: quiq; dominationes ſpernāt, & poteſtate præditos maledictis inſectētur; ſed imitatores, vt vno verbo plurima complectar, ipſius Chriſti. Hic certè, cùm Dominus eſſet vniuerſorum, tam mitem, humilem atque manſuetum ſe exhibuit, vt non ſolùm cœleſti Patri ſe ad mortem crucis humiliauerit, ſed & virgini Matri, & Ioſeph ſe ſubdiderit, quin & numiſma cenſus pro ſe ſuperiori poteſtati, cùm ipſe omnibus verè ſuperior

Diſcutitur ſententia Apoſtoli. 1.Pet.2.c.

Benefacta miniſtrorum.

Scelera magis periculoſa, quòd putentur eſſe virtutes.

2.Pet.2.d.

2.Timoth.3.a.

Imitatores Chriſti qui ſint.

Phil.2.a. Luc.2.g. Matth.17.d. 22.c.

rior esset, solui iussit, & cætera omnia, quæ Cæsaris essent, Cæsari reddenda præcepit. Et tantùm abfuit, vt ipse acerbissimis lacessitus iniuriis par pari retulerit, vt, cùm malediceretur, non rursus malediceret; cumque pateretur, non comminaretur: sed tradèret se iniustè iudicanti: ad cuius imitationem adhortatur omnes Christi discipulos consequenter ibidem Apostolus, signanter inferens. Si quid, inquit, patimini propter iustitiam, beati. Hîc minimè oscitanter obseruandum est, Apostolum loqui maximè de iis malis, quæ tunc temporis fideles à superiore potestate adhuc Ethnica, certum est (sine cuius nutu nullæ permittebantur manifestæ iniuriæ) passi fuere. Vnde colligimus illustre Christianæ militiæ Symbolum, à Christo simul & ab Apostolis, verbo & opere nobis traditum, & maximopere commendatum esse, propter in iustitiam non inferre Principibus vim vllam, sed patienter ferre, propter Principatum nobis in cœlis promissum, quæuis incommoda & damna: Id, quod prototypus ipse actionum nostrarum, Christus Dominus, verbo & opere docuit, docuerunt & Apostoli, imitati sunt Martyres suo sanguine, per 300. annos propagantes Ecclesiam. Quo tempore * vix vnquam Christianos infidelium Principum furorem armis declinâsse, multò ergo minùs inuasisse fideles deprehendes. O quam alio spiritu mouebantur Martyres illi beatissimi, agnellis quibusuis mitiores, quàm Martyres hodie Caluini, Scythis & Siculis, tyrannis magis immanes! Illi ex instituto Apostolico pro Principibus, tametsi sanctæ nostræ religionis sæuissimis hostibus, quotidie preces & sacrificia Deo pro confirmando Imperio offerebant: isti orthodoxos Principes, conuitiis & maledictis lacerant, diris omnibus deuouent, & tandem armorum vi, è soliis exturbare conantur: Illi, admiranda & angelica planè lenitate, lupos in agnos mansuetissimos; isti Turcica feritate agnos in lupos, vrsos & pardos ipsi homines prorsus exuti, infelicissimè commutant. Illi regna mundi, fluxaque hæc alia omnia terrena & corporea, quo cœlestia bona spiritalia & æterna sibi & aliis obtinerēt, vt stercora sunt arbitrati: isti fallacissimo quodam stratagemate, diuina & cœlestia nonnunquam ore cōmemorant: sed manu ferrum & flammas tantùm, atque præsentem mortem afferunt. Illi mille se mortibus, vt alios vitę restituerent, gaudentes obiecerunt; hi nullis non se periculis, vt viuos in pręsentem simul & æternam mortem præcipitent, furiosè exponunt.

1. Pet. 2. d.

Ibidem 3. b.

Insigne Christianæ militiæ Symbolum, patientia omnium malorum in hac vita, propter spem vitæ æternæ.

* Armeni Christiani tunc oēs, soli in suis vrbibus, aduersùs Maxentium tyrannum se tantùm, Deo causam peste & fame vindicante, defendisse leguntur.

Alius Martyribus, alius ministris istis spiritus.

Vt in hæc fusiùs, neque id sine lachrymis prorumperem, effecit solicita priorum & posteriorum Ecclesiæ temporum recordatio; priorum, in quibus illa solis spiritualibus; potissimùm autem submissi animi, tollerantiæ, atque orationum armis ita creuit, floruit atque inualuit, vt multò ampliùs quàm Romanum sibi terra marique subdiderit imperium: posteriorum autem, quibus illa ob peccata, maximè autem hæreseon scelera in oriente, spurcissimi Machumetis gladio, ante annos nongentos cœperit extenuari, & nunc tandem, prô dolor, in miserrimas angustias eiusdem immanitate contrahi. Obstupui equidem, quî fieri posset, vt quis fidei nostræ vel tyrociniis imbutus, crederet eos homines solida vlla eruditione, pietate, & prudentia cæteris præstare Christianis, qui Machumetico potiùs gladio, quàm gladio spiritus, aduersùs Christianos Principes, etiam si in graues errores inciderent, (quod aduersarij Cæsarem, cæterosque orthodoxos Reges & Principes commisisse hoc tempore, non aliter quàm lucem esse tenebras probabunt) vtendum esse docent. Si vetus Ecclesiæ imperium, pristinosque terminos nobis restituere cuperent: quin potiùs aduersùs communem Christiani nominis hostem tela sua conuerterent: sed hîc piis viris non deest excusatio: ad religionem scilicet, cogendum esse neminem. At infidelem simul & tyrannum maximum à fidelium fratrum ceruicibus, quibus iniquissimè & crudeliter insidet, depellere non solùm licet, sed & fraterna charitas, sicut & honor fidei Christianæ, testimoniumque prætere a nostræ sinceritatis & zeli, in primis vrget. Et ne fortè quis, vt Machumetico potiùs Turcæ, quàm Catholicis Principibus parcatur, in Turcæ defensionem adferat 300. illos annos Martyrum, ante D. Constantinum, quo tempore Christiani vbiq; gentium indies magis inualescentes, si numerũ & vires aduersùs Romanos Principes coniungere voluissent, plurimum illis negocij indubiè facere potuissent: nihil tamen eiusmodi animo vnquam concepêre, intelligat primùm illorum verorum Christianorum modestiam rebellib⁹ huius seculi & ora obstruere & manus colligare debere; deinde, vt erga Turcam remissiores animis simus, nihil probare, si quidem Romani ante prædicatum Euangelium, vbiq; ferè gentium, rerum Domini, nec id tacente scriptura, habiti sunt: in quorum dominium nihil iuris prætendere potuêre Christiani, quale modò rectissimè possunt & debent quoque aduersùs tyrannidem

Priorum & posteriorum temporum recordatio, posset fideles continere in officio.

Gladiũ Machumetis arripiunt ministri.

In Turcam potiùs quàm in Catholicos præciperent pugnandũ.

Ne adferant exẽplum patientiæ Martyrũ, vt parcant Turcæ.

Quare iam Turcæ tyranno, & non olim Romanis rerum domi nis fuit resistendum.

Turcæ: qui quicquid possidet, id totum Christianis ademptum possidet. Quemadmodum igitur in veteres Romanos illos, neque propter principatum, quo (vel propter morum virtutes, quarum erant obseruantissimi, vel vt liberior expeditiorque prædicandæ Euangelicę gratię, regnante pace, potestas esset) à Deo donabantur, neque propter religionem ratione iam dicta, Christiani quicquam iure potuêre: ita Turcæ, tametsi pari argumento non propter falsam religionem, cùm veram nunquam sit professus, propter iniquitatem tamen à Christianis Principibus multiplici iniuria affectis, iure maximo obsisti debet.

D. Aug.

Sed, omissis iam infidelibus, paganis seu Machumetanis Principibus, cùm ostendi ab aduersario nō possit, Christiano populo, aduersùs Regem, Cæsarem aut vllum Principem Christi semel mysteriis initiatum à Deo ipso (cuius solius propria est hæc ordinatio) vlla in re, gladium commissum esse, afferat tamen ille Dei verbo id clarè doceri: an non addere Dei verbo propterea arguitur? an non iuxta scripturas mendax, & dignus his plagis, quas minantur sacræ literæ iis, qui Dei verbo addunt aut detrahunt, conuincitur? Si verò Ecclesiæ iudicium & praxim hac de re examinare libeat, nō poterit id, opinor, nobis clariùs constare, quàm primum ex duobus illis Cæsaribus, Constantio & Valente: qui à Catholica religione, in qua fuerant à teneris educati, ad Arianismum (quo errore nescio si quis alius extiterit aliquando aut tetrior, aut Ecclesię pestilentior) fœdissimè aberrârunt. Quid interea aduersùs istos consilij pij Christiani cœpêre, ex Ecclesiastica historia patet: ex qua nemo colliget Catholicos incubuisse, vt virtute bellica errantes Principes in viam reuocarent, sed multò magis, vt singulari quadam modestia, inuictaque constantia in se Deum veritatemque habitare docerent. Sed forsan nullis iniuriis fuerant ab erroneis illis prouocati. Plurimis profectò atque iis grauissimis. Legitur enim Constantius ille, vt ad consensum Arianæ hæreseos Catholicos cogeret, strenuam nauâsse operam; & cùm, cōuocato Mediolani Concilio, incautorum plurimos fraudibus inescasset, fortioresque atque eruditiores, cùm non posset, in exilium trusisse interea eorum præcipuos, sanctissimos nimirum Episcopos, Dionysium, Eusebium, Paulinum, & inter alios magnum ipsum Ecclesiæ lumen, Hilarium. Et de Valente quidem ibidem paulò posteà ita scribitur: Sed Valens, fauens Hæreticis

Inueniuntur Aduersarij, Dei verbo addere, esseq; mendaces.

Quid præscribat hic nobis praxis Ecclesiæ.

Quid tentârunt Christiani aduersùs Constātium & Valentē, Arianos.

Eccl. hist. lib. 2. cap. 2.

Episcopi Catholici missi in exilium à Constantio.

Valentis improbitas & sæuitia.

abiit

abiit in viam Patrum suorum. Nam & Episcopos egit in exilium: Et Presbyteros ac Diaconos & Monachos (Tatiano Alexandriæ præsidente) vsque ad tormenta deduxit & ignibus tradidit, imò Monachos, vt alio loco traditur, militare nolentes fustibus interfici iubet, multaq; nefanda & crudelia in Ecclesiam molitus est. Huius deniq; tyrannide protecti Arianorum Episcopi non aliter desæuiêre in Catholicos, arctiore potissimùm religionis vinculo astrictos, sacratas vtiq; Deo virgines & Monachos, quàm hac nostra tempestate Sacramentariorũ ministri. Et, ne loqui videar sine autore, adferam, quæ de diuturna tolerantia D. Athanasij, & de crudelitate cuiusdam Lucij contestata nobis reliquit, statim ibidem subuertens Ruffinus: Igitur ea tempestate, ait, cùm quadragesimo & sexto anno sacerdotij sui Athanasius, post multas agonas, multosque patientiæ coronas quieuisset in pace, sciscitatus de successore Petrum tribulationum suarum participem & socium delegit (obseruabis mecum, tãto tempore, Catholicos nunquam armata vi aduersùs Principes Arianos quicquam tentâsse) Sed Lucius, subdit, Arianæ partis Episcopus continuò tanquam ad ouem aduolat lupus. Et Petrus quidem nauem protinus conscendens, ad vrbem Romam profugit. Lucius verò tanquam materia sibi crudelitatis oblata, sæuior erga cæteros efficiebatur. Et ita ibat in sanguinem, vt ne speciem quidem aliquam religionis seruare videretur. Cuius primo ingressu, tanta & tam turpia in virgines & continentes Ecclesiæ gesta sunt, quæ nec in persecutionibus gentium memorantur. Inde, post fugas ciuium & exilia, post cædes & tormẽta flammasq;, quibus innumeros confecerat, ad monasteria, furoris sui arma conuertit. Vastat eremum & bella quiescentibus indicit. Tria milia simul (aut eo amplius) viros per totam eremũ secreta & solitaria habitatione dispersos oppugnare pariter aggreditur. Mittit armatam peditum ac equitum Manum, Tribunos, Præpositos, & bellorum duces, tanquam aduersum barbaros pugnaturus elegit. Qui, cùm venissent, nouã belli speciem vidẽt, hostes suos gladiis obiectare ceruices, & nihil aliud dicere, nisi: Amice ad quid venisti? Ecce Catholicorum arma, de quibus suprà verba feci. Porrò dices forsan his Catholicis non affuisse Duces & Principes sui exercitus, digno pietatis zelo accensos. Et hunc scrupulum adimit tibi etiam idem autor grauissimus, & testis eorum tãtùm, quæ sciuit, vidit & audiuit. Subdit enim in hunc

Ariani & Sacramentarij furore parum dissimiles.

De D. Athanasio.

Hist. l. 11. c. 3.

De Luciano Ariano Episcopo.

Roma olim, vt nunc asylum Catholicorum, ab Hæreticis afflictorum.

Imago Caluinistici furoris.

Sæuitia in Monachos Dei seruos.

Quomodo pugnabant tunc Monachi.

Quales duces sunt Monachorum.

Ibidem c. 4.

modum: Per idem tempus Patres Monachorum vitæ & antiquitatis meritò Macarius & Isidorus, aliusque Macarius, atque Heraclides & Pambus Antonij discipuli per Ægyptum, & maximè in Nitriæ deserti partibus habebantur viri, qui consortium vitæ & actuum, non cum cæteris mortalibus, sed cum supernis angelis habere credebantur. Quę præsens vidi loquor, & eorum gesta refero, quorum in passionibus socius esse promerui. Hi ducebant exercitum Domini, non mortalibus telis, sed fide religionis armatum exercitum moriendo vincentem, & qui sanguinis sui profusione victor Christum sequeretur ad cœlum. Hactenus ille.

Oculatus horum testis Ruffinus.

Pios fuisse Monachos, ita pugnantes, ostenditur magno Dei sigillo.

Addit præterea, ne quis putet hoc Principes exercitus Dei parum fortiter piè aut prudenter se in hoc bello gessisse, demonstrans continuò illos Dei spiritu actos fuisse: quippe qui eius beneficio multas virtutes operati fuissent, quarum oculatus ipse testis esset. Quique, inquit, dum in tabernaculis positi & orantes expectarent interfectores suos, delatus est ad eos homo olim membris omnibus, & præcipuè pedibus aridus. Sed, cùm ab eis in nomine Domini oleo fuisset perunctus, statim confirmatæ sunt plantæ eius. Et dicentibus eis, in nomine Iesu Christi; quem Lucius persequitur: Surge & sta in pedibus tuis, & redi in domum tuam, continuò exurgens & exiliens, benedicens Deum, ostendens, quia verè erat in eis Deus. Recenset & alia ibidem in huius spiritus testimonium, magis forsan admiranda, quibus tamen enarrandis breuitatis iam causa supersedeo. sed hac lege, vt concedat mihi aduersarius, si fuerat in piis illis Patribus spiritus Dei, esse in ipso & in Sacramentariis regnorum iam euersoribus spiritum impurissimorum Arianorum, aut potiùs Machumetis, qui, se huius exemplo missos esse, non obscurè innuunt: vt gladio nimirum furoris, religionis veritatem nobis quasi postliminij iure tandem restituant.

Spiritū Arianorum aut Machumetis esse in Sacramētariorum ministris.

De Principe apostata.

Omissis nunc Arianorum, siue in Oriente, siue in Aphrica, immanibus & cruentis sæpe tragœdiis, dicet fortassis quispiam tametsi orthodoxis subditis in suos Reges & Principes hæreticos, nulla vel scripturæ autoritate, vel piorum veterum exemplo, insurgere licet; in eosdem tamen vel crudeles persecutores, vel idololatras, vel apostatas id licet maximè. & certè huius rei veritas, si praxim Dei Ecclesiæ (nā è scripturis perspicui adferunt isti nihil) spectemus, faciliùs iudicari non poterit, quàm ex vno illo Iuliano glo-

De Iuliano.

gloriosissimi Constantini vltimo dedecore (erat enim is illius familiæ in Principatu vltimus) hic etenim humanis siue Philosophicis, aut Diabolicis potiùs studiis dementatus, incidit in illud barathrum impietatis & apostasiæ, (cuius infami nomine in hunc vsque diem notatur) in quod nullus Imperatorum, vel nec aliorum Christianorum Principum, ante vel post eum incidisse traditur. Quid verò tunc Christiani subditi? Ad quæ arma sese proripuêre? non vtique ad alia, quàm quæ sunt Christianorum propria. In carne enim cùm ambularent, non secundùm carnem militauêre. Et militauerunt tamen fœlicissimè, tametsi non induti arma militiæ, quibus solent iam Sacramentarij; non carnalia quidem ista, sed quæ Deo & diuina virtute potentia essent, ad destructionem munitionum omnium, quas hostis humani generis in cordibus vel infidelium, vel hæreticorum, ac etiam apostatarum extruere solet. His certè tunc armis, consilia & cogitationes impij Iuliani, sine sudore & sanguine vel suo vel aliorum, facillimè dissipauêre: sicut solet semper Dei Ecclesia gladio spiritus, scuto fidei & precum, & reliqua spiritali panopliâ, subitò præter hostium opinionem, humiliare omnem altitudinem extollentem se aduersùs scientiam Dei. Nam ille, cùm in altissimo huius mūdi throno positus, horrendum in modum aduersùs scientiam & veritatem Dei Ecclesiæ manifestatam, & ipsi aliquando probatam extulisset, contra Christianos multa impiè, subdolè, neque minus aliquando crudeliter, tametsi clementissimus dici voluit, designâsset; honoribus eos exuens, scholas habere prohibens, Clericos & Pastores ad militiam, vt grex dispergeretur, pertrahens. Paganis vbique templa rursus sua, suaque gymnasia aperiens, nec non & Iudæos postremò in Christi Christianorumque contemptum ad restituendum, Ierosolymis semel dirutum templum, munificentia magna, licet frustra reuocans, dum Alexander ille Macedo, fastu elatus dici vellet, fidelium precibus non sclopelis, miserrimus inter suos hasta confossus extinctus est. Instituit enim aduersùs eius impietatem Ecclesia suam, firmissimam quidem militiam, solennes vtiq; supplicationes: quarum robore ita de hoste immanissimo triumphauit, vt nesciret exercitus, à quo trucidati sui Ducis reposceret vltionem. quo factum est, vt Calixtus eius familiaris, qui illius historiam heroico versu conscripsit, non abs re à Dæmone eum vulneratum interiisse existimauerit.

Arma Christianorum aduersùs Iulianum.

Munitiones diaboli.

2.Cor.10.b.

Crudelis calliditas Iuliani.

Dolis auertere studet Christianos, quos armis sciebat se non posse.

Iuliani interitus.

Tripartita hist. lib. 6.c.vlt.

Nunc

Christianos nequaquam hinc armis abstinuisse diffidētiâ suarum virium.

Nunc superesse disquirendum solummodo videtur, si Christiani vbique terrarum, tunc temporis, solo timore, & diffidentiâ suarū virium, sibi & sanctę nostrę religioni tam detestanda fieri a b apostata homine, quantumuis alioqui prępotente permiserint, an diuino potius metu, ne gladium tollerent in eū, qui potestate publica, ac Dei proinde ordinatione gladium ipse portaret: cùm nihil sibi de iure gladij traditum diuinitus intellexerint. Si quantum Christiani numero & viribus, tempore etiam Martyrum, nedum ætate Iuliani valuissent, modò Caluinico spiritu fuissent accensi, testimonia coaceruare placeret, ingens inde volumen excresceret; paucula quædam igitur ex multis in medium adferam. Quid senserit D. Aurelius, Augustinus, qui paulò pòst Iuliani exitium floruit, ea de re nonnihil suprà innuimus, qui alio loco asserit, vix quemquam suo seculo vsquam inueniri, qui de Christo malè loqueretur. Sed de tempore Martyrum, vnum aut alterum testimonium adferemus. Primùm igitur Eusebius ex oratione Luciani Martyris, probat mediam partem orbis, superata iam tùm immanissima Diocletiani persecutione, doctrinæ Euangelicæ astipulatam fuisse. Deinde Tertullianus multò antea, tempore nimirum Seueri Principis, circa annum salutis 220. in defensionem innocentiæ Christianorum, describit: quòd si ipsi læsi parem vicem hostibus, quod illis prohibebatur, referre voluissent: quantam internecionem illis & cladem inferre numero & viribus, nōnunquam & clandestino igni potuissent. Sed absit, inquit, vt aut igni humano vindicetur diuina secta, aut doleat pati, in quo ꝓbatur. Si enim hostes extraneos, non tantùm vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum & cǫpiarum? Plures nimirum Mauri & Marcomani, ipsi Parthi, vel quantæcunque vnius tamen loci & suorum finium gentes, quàm totius orbis. Externi sumus & vestra omnia impleuimus, vrbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forū. Sola vobis relinquimus tēpla. Cui bello non idonei, non prompti fuissemus? etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur? Si nō apud istam disciplinam magis occidi liberet, quàm occidere? hæc ille. Ex cuius verbis licet colligere, aliud Euangelium iam mundo illatum esse, quàm initio fuerat annunciatum. Nam quod priùs omnia propter Christum etiam à quibuscunque perferre docuit; posterius vero nullas non clades etiam supremis potestatibus moliri

Tract. 27. in Io.

Lib. 9. hist. c. 6.

Tertul. in Apol. c. 37.

Nō doluisse Martyres, se propter Christum pati.

R.

Placuisse antiqs Christianis occidi magis quàm occidere.

Aliud Euangelium annunciatum iam hominibus,

moliri & inferre dolis & armis, non solùm eos, qui aliter de religione sentiunt, sed & Malcontentos aliquando istos perdocet. Nam, & hi rore huius pestiferæ gratiæ sunt perfusi. Sed ad Iulianum ipsum redeo: qui tam numerosum in perfidem duxârat exercitum, suspicari non immeritò iam posset quispiam, potuerintné tunc temporis Christiani armorum virtute quicquam in Apostatam tentare. Qui scrupulus facilè depellitur, si quis sibi persuadeat, quòd res erat, quodq; hîc obseruatu dignissimum est, exercitum illum non fuisse perfidia Iulianianum, sed religione Christianum. Nam, cùm impius per triennium tantum imperium tenuisset, Constantini Constantiique exercitui ducendo succesit, potiùs, quàm suo ipsius præfuit. Id, quod diuina quadam prouidentia factum esse, orbique contestatum voluisse, videtur supremus ipse orbis moderator; ne facilè seditiosus populus, quauis prætensa causa, in legitimum Principem, in summam Reip. perniciem, bellum mouere iustè se putaret. Nam, si cōtra tam insignem omni impietate virum, Christianus exercitus nihil imperiosè sit molitus: quis nunc sibi in animum inducat, vt quouis prætenso errore, aut vitio, licere vasallis & subditis in suum Regem aut Principem rebellionem concitare: eiusúe detrectare imperium? Sed de his, quæ à nobis asserta sunt, audiatur grauissimi autoris D. Theodoriti testimonium, qui de electione optimi Imperatoris Iouiniani verba faciens, disertè quidem hæc omnia contexit. Post interfectum, ait, Iulianum, Duces vnà cum Præfectis in vnum coacti, iniuêre consilium, quis ad regendum imperium deligendus esset, & quis tùm ad militum saluti in hostili solo sapientia & consilio prouidendum, tùm ad recreandum statum Reipub. Rom. in acie nouaculæ, vt dicitur, ob Iuliani iam mortui temeritatem positum, maximè idoneus videretur. A quibus, dum de hac re deliberatum erat, exercitus in vnum congregatus Iouinianum postulat Imperatorem; qui neque Dux, neque ex eorum numero, qui secundas post duces obtinebant, fuerat: sed tamen vir apprimè nobilis, illustris & multarum rerum causa insignis: Nam corpore robustissimo fuit, animoque excelso: quin etiam in bello gerendo solebat & in acrioribus certaminibus facilè primas ferre. Porrò, contra impietatem liberè loquebatur, tyranni potentiam contemnebat, animi propensione Seruatoris, Martyribus coniungebatur.

Potuisse Christianos in Iulianum securè bellum mouere.

Admiranda Dei prouidentia cōtra præsentes turbas rebellātium.

Theodor. hist. lib. 4. ca 1. De Iouiniano Cæs.

☞ Eius eximiæ virtutes.

batur. Itaque duces consensum exercitus, velut suffragationem diuinam, arbitrati, producunt in medium præstantissimum illum virum, celeberrimè, primo suggesto constructo, in eo collocant. Deinde, cùm omnes nomina, quæ sunt Imperatorum propria, ei tribuissent, & Augustum ac Cæsarem appellâssent, *vir ille admirabilis sua consueta loquendi vsus est libertate, & neque Magistratus, neque milites, vt ad deteriorem partem deflecterent, omnino veritus. Non possum,* inquit, *cùm sim Christianus, eiusmodi hominibus imperare, neque regere Iuliani exercitum, qui tam pestiferæ doctrinæ præceptis imbutus sit. Nam, qui sunt ita instituti, hi diuina destituti prouidentia, tùm ab hostibus facilè expugnari, tum eisdem materiam ad lætitiam præbere solent. Quibus verbis auditis, milites conclamare vno ore, ac dicere. Ne animus tibi, Imperator, vlla æstuat dubitatione, neque nostri imperium, tanquam improbum, deuites. Nam & Christianis hominibus & disciplina vera pietatis educatis imperabis:* Siquidem, qui sunt inter nos ætate prouectiore, hi à Cõstantino eruditi erant: *qui autem adolescentiores, illi præceptis Constantij instruebantur. Tempus certè Iuliani imperii, qui iam morte occubuit, vt per exiguum, ita non satis ad erroris perniciem animus eorum, qui eâdem infecti erant, altiùs infigendum fuit.* Hæc ille: Quo loco obseruandum est, hîc Christianum exercitum nihil fecisse aliud in noua lege, quàm quod typo quodam abumbratum erat olim in vetere. Nam vt impius Rex ille Saul sæuiebat olim iniquissimè in Dei sacerdotes: ita Iulianus in Christi fideles, gentem sanctam, regaleque sacerdotium: sed ille cruentis cædibus, hic autem dolis & iniquarum legum tyrannide: non quòd abhorreret hic magis à sanguine, quàm cruentus ille; sed quòd sciret Ecclesiam, quam extinctam summopere sitiebat, Martyrum sanguine crescere, magis & corroberari, quàm infirmari aut excindi: & sicut ille suis seruis, Deum timentibus, frustra præcepit, vt sacerdotes Dei ipsi interficerent: sic Iulianus frustra suo fideli exercitui suasit, vt Christianos vspiam opprimerent. Verùm vt serui illi regio mandato nulla vi armorum obstitêre, neque impediuêre; quo minus Doeg Idumæus, præcipiente Rege, Dei sacerdotes interficerent: ita nec exercitus Christianorum vlla rebellione Cæsari, licet idololatræ & Apostatæ in fidelium fratrum defensionem sese opposuêre. Existimauêre enim illi Christi agnelli, satius multò esse, vt iusti iniustè à Cæsare propter veram iustitiam paterentur, quàm vt ipsi Cæsa-

rìs

Detrectat imperium oblatum, ne Christianæ religioni sit scãdalo.

Militum confessio.

Obserua hoc ipsum vetere lege adumbratum. 1. Reg. 22. c. d. Impio Sauli fideles serui: impio Iuliano fidelis exercitus.

ris autoritati vim vllam, licet impiè agenti, vllius fucatæ iustitiæ prætextu inferrent. Quid quæso secum cogitare potuêre fideles illi de suo Cæsare aliud, quàm fidelis Dauid de iniquissimo Saule, cùm diceret? Absit hoc à me, vt mittam manũ meam in Christum Domini. Et, nisi venerit dies eius, vt moriatur, aut descendens in pręlium, & cętera quę iam memorauimus. Sciebant enim illi non esse potestatem nisi à Deo, & illam quidem in nemine magis eminere, quàm in Romanorum Principe: de quibus tanta, non obscurè ipsæ loquuntur scripturæ. 1. Reg. 24. b.

Eat igitur nunc Aduersarius, & quærat quando? quibus? & quousque Principi, contra ipsorum Euangelicam legem agenti, vel ipsorum Ecclesias vastanti, vel quo minus extruantur, impedienti resistere, concessum sit? Eat denique & quærat. Nobísne (Nouellis nouæ fidei ministris) in negocio religionis obediẽdum sit, an Cæsari? In Aduersariũ.

Ad sensum igitur istorum, ingenuè Christianis omnibus respondendum est, nisi malint seuerissimè, vindicante Deo, suam autoritatem, cum rebellibus, Core, Dathan & Abiron, atrocissimas quidem dare pœnas, obediendũ esse hîc magis Cæsari, quàm seditiosæ huius sectæ ministris. At quid dico magis? imò soli Cæsari, & istis minimè obediendum esse, omni asseueratione confirmo, atque id multis rationibus. Cæsari etenim potestatem esse à Deo nęmo dubitat, vtpote qui neque tyrannide, neque vllis malis artibus, sed consentientibus ad vnum omnibus, sacri imperij Electoribus ad suum solium, acclamante vniuerso populo, est prouectus. Neque minùs dubitant, quotquot sano iudicio præditi sunt, nullum sectæ ministrum, cùm extra sanctam Dei Ecclesiam, quæ toto orbe diffusa conspicitur, sit positus, regendi Ecclesiam habere potestatem vllam, quod & eiusmodi homines re ipsa non obobscurè loquuntur. Nàm cùm à se ipsis tantùm vocati, electi & promoti, repugnante omni legitima ordinatione, omnem legitimam potestatem à Deo traditam, vel clancularijs insidijs, vbi sibi timent, euertere conãtur: vel alias aperto marte oppugnant, conuitiis lacerant & maledictis proscindunt: Et quod Iudas Apostolus facturos eiusmodi impios homines prædixerat, dominationem spernunt: idque vt Apostolicam benedictionem hæreditate accipiant: Væ illis, ait, qui in via Cain abiêrunt, (ecce fraternum

Vera sinceraque Catholici viri ad quæstionem responsio.

Rationes. 1.

odium, quo iniquè prosequuntur clerum) & errore Balaam mercede effusi sunt, (ecce studium auaritiæ, quo mirantur personas quæstus causa, quoque inseruiunt, non Christo, sed suo ventri, atq; eorum plerique impurissimis libidinibus: & in contradictione Core perierunt: de qua re nobis hic statim futurus sermo est: de rebellione nimirum in Moysen & Aaron, in Dei Principes, in vtranque, inquam, at maximè in sacram Ecclesiæ potestatem.

II. Adhæc obediendum esse Cæsari docemus, quòd is constantissimè insistens vestigiis clarissimorum maiorum suorum, non modò optimorum & potentissimorum Cæsarum, (**) Austriacæ familiæ) sed & Constantini Magni, Theodosij, vtriusque Valentiniani, magnæ quoque Germanorum gloriæ Caroli Magni: nec non, & cæterorum omnium Catholicorum Imperatorũ, Regum, aliorumque Principum, vt verus Ecclesiæ filius eam fidem solam & religionem, quam cum illis ab Ecclesiæ toto orbe florescente accepit, vt nobiscum palam confitetur, sic pro suo supremo Principatu in ciuili potestate, suo sceptro pro virili rectè sustentat, munit atque tuetur.

III. A sectarum verò ministris, vt aures rectè auertimus: ita longo longiùs, vt cum beatissimo Irenæo loquar, vltrò fugimus: tum quòd intrent in Ecclesiàm, non quidem per ostium, vt infrà suo loco patebit, ea, quam Christus instituit, autoritate; sed ingerant se aliunde, vt fures & latrones. Currunt enim haudquaquam missi, docent quasi ex ore Domini, cùm Dominus non sit locutus. Adde, quod per oppositionem falsò nominatæ scientiæ (à qua, monente Apostolo, sanctè quidem abhorremus) à vero sensu verbi Dei, quem in eius Ecclesia ex Apostolicæ & Ecclesiasticæ traditionis lacte feliciter imbibimus, per mille profanarum nouitatum meandros atque anfractus sese præcipitantes, nos secum deturbare studeant.

IIII. Optimo præterea Cæsari, libenter obediendum censemus, eò quòd ille, vt humilis Christi seruus, maximæ laudi sibi ducat, inque eo maximopere sibi placeat, quòd in nullo aberret à terminis antiquis, quos Ecclesię partes priùs posuêre. Ministros autem sectarũ præterea auersamur, quòd inani gloria communi Hæreti-

eorum morbo inflati, nihil magis in votis habeant, quàm vt spretis Patrum sanctionibus, doctrina ac spiritu, abducant discipulos post se, vocentur Magistri, atque ita introducant sectas perditionis, errantes & in errorem mittentes, inque dies magis in peius proficientes. Qua in re, cùm sint quidem miserrimi, multò tamen in eo magis miseri, quòd surdi simul & cæci, neque auribus audire, neque oculis videre volunt, illud quod scribit de illis Apostolus, qui optimè illorum genium atque ingenium cùm sciret, illos ita nobis depinxit. Quemadmodum, ait, Iannes & Mambres restiterunt Moysi: ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, sed vltrà non proficient. Deinde subiungit illud, de quo nunc maximè agimus. Insipientia enim, inquit, eorum manifesta erit in omnibus, sicut & illorum fuit. Etenim cùm sapientiam veterum Hæreticorum omnium, meram insipientiam fuisse, luce clariùs manifestatum est; tum maximè Arianorum & Donatistarum, quorum immani tragœdiæ lugubrem imposuit catastrophen, fœdissimus ille Machumetismus: hos tamen præ cæteris omnibus, in excitandis contra Catholicos tumultibus atq; cædibus patrandis, haudquaquam satis putant Sacramentarij, equis passibus imitari, nisi multis etiam parasangis antecedant, & omni barbarie superent; atq; interim tam insignes agunt hypocritas, vt omnia propter ipsum Deum, atque adeò, ipso monente Deo, sese præstare simulent. Sitne ista sapientia vera, pudica, pacifica, modesta, morigera, & tractabilis, plena misericordia & fructibus bonis, an insipientia, quam prædixerat Apostolus in omnibus manifestam futuram, sedulò vobis despiciendum est; neque id magis facilè in re alia vlla videre licet, quàm in ista, quam ministri sibi assumunt, Ecclesiastica autoritate: Vbi nescias, insipientiam magis suam, an sceleratos planè animos prodant. Resistere profectò veritati, non tantùm insipientia, tametsi per errorem fiat, sed & graue quidem delictum est: Verùm agnitæ per malitiam resistere veritati, quàm horrendum sit scelus, nemo, qui sacras literas, vel summis degustauerit labris, ignorare poterit. A quo malo num isti absolui possint, vel ea duntaxat parte, qua sibi Ecclesiæ administrationem vendicant (vt de cæteris erroribus, quos docent, nihil ampliùs loquamur) breui quadam velitatione, spero omnibus manifestissimum futurum. At primùm

2.Timoth. 3.

Caluinistas furoris Arianorum & Donatistarũ esse imitatores.

Ia. 3. d.

2.Timoth. 3. c.

Resistere agnitæ veritati.

quidem, si perspicuis scripturarum testimoniis in eas angustias isti pertrahantur, vt sese resistere veritati, nulla ratione, negare valeant: quòd eidem agnitæ resistant, suo ipsorum iudicio conuincentur: Vtpote qui sibi solis scripturarum scientiam genuinam attribui volunt: Atque ideo nulla ignorantia sese excusare cupiunt. Nunc itaque, si gladio verbi Dei, quo se in omnibus munitissimos esse iactitant, suum locum atque vocationem, qua nihil verentur, vel ipsi Cæsari sese opponere, tueri valeant, mecum lector, quæso, attentiùs perspiciat.

DE

DE MINISTRORVM VOCATIONE.

PRIMO quoniam, vt extra omnem controuersiæ aleam positum est, in Ecclesia esse duplicem autoritatem: hierarchicam (quam & sacerdotalem & Ecclesiasticam quoq; indifferenter vocant Patres) & politicam seu secularem: ita hanc, quod ad legitimæ successionis iura attinet, humanis quàm diuinis legibus, sicut & illa (hierarchicam dico) cōtrà, solis diuinis stabiliri, nemo in sacris literis vel tenuiter versatus ignorare potest. Præterea secularem potestatē vocat D. Petrus humanam creationem, sed cui obediendum esse docet, propter Deum: sicut & Apostolus Paulus, non propter timorem, sed propter conscientiam: Subiecti igitur estote, inquit ille, omni humanæ creaturæ, siue (vt clariùs verti potest) creationi, seu humanę ordinationi, propter Deum. Hic autem de hierarchica potestate, vt planè diuina sic scribit. Nemo sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, quemadmodum & Aaron. Nunc autem, an sint isti à Deo vocati, expendamus. Principiò autem, quotquot sunt in dominico ouili, vel oues sunt, vel Pastores. Si oues, atq; propterea subditi suis Pastoribus, audire debent illud Apostoli: Obedite Prępositis vestris, & subiacete eis. Rationem autem obedientiæ & subiectionis statim subdit: Ipsi enim, inquit, peruigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris. Ad oues quoq; spectat illud, Si illos non audierit, dic Ecclesiæ, Quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. quo loco Ecclesiæ nomine, Ecclesiarum Pręlatos & Pastores, suo quenque loco intelligi debere, nemo nisi refractarij spiritus homo inficias ibit. Si verò sint Pastores, audire itidem tenentur & ipsi illud Apostolorū Principis: Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè, &c. Item & illud D. Pauli: Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit, Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.

[Margin: Duplicem in Ecclesia esse potestatem. — 1. Pet. 2. c. — Hebr. 5. b. — Ibidem 13. d. — Quotquot in Ecclesia sunt, vel oues sunt vel Pastores. — Matth. 18. b. — 1 Pet 5. a. — Actor. 20. f.]

Hîc respondeant velim, Caluinismi, siue cuiuscunque alius sectæ Ministri, siue Superintēdentes, quos vocant, sintné ipsi oues dominici gregis, an Pastores & Episcopi? Nam Ministri nomen

[Margin: Ministri sectarij, quia neq; oues, neque Pastores sunt, extra Ecclesiam sunt.]

absolutè in ea significatione, qua nunc vtuntur Sectarij, sicut & Superintendentis non vsurpat scriptura; Si verò oues: quos agnoscunt Pastores? Verùm si se nunc tantū Pastores esse & Episcopos agnoscunt: dicant quos agnouère Episcopos & Pastores, cùm adhuc essent ipsi oues tantùm, quibus subiacere debuerant, vt Præpositis suis, secundùm Apostoli sententiam, quam iam citauimus. Nam tantùm abest, vt, cùm in hanc lucem primùm ex matrum vteris prodirent, fuerint Episcopi, vt ne membra Dei Ecclesię, sed filij iræ, sicut & cæteri hominum, fuerint: Non agam hoc loco, de Caluinistarum somnio, quo audent fidelium parentum liberis, sine regenerationis lauacro, qua sunt temeritate, æternam vitam promittere: neque de adulterata ab illis clarissima ipsius Domini ea de re sententia; qua affirmat ille, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt absconditi, quòd nisi quis renatus fuerit
Io. 3. a. ex aqua & Spiritu sancto, non poterit introire in Regnum Dei: sed ingenuè asseuero, neque eos naturæ munere primùm natos, neq; posteà baptismi lauacro renatos, statim euasisse in Presbyteros, Episcopos, aut Ecclesiæ Pastores. alioquî in mystico Christi corpore, omnes fuissent oculi, pes nullus, manus nullæ; nisi mallent Ministri, qua sunt audacia, occultæ prædestinationis munere se tales ineptè iactitare, cùm primùm huius vitæ luce fruerentur, effectos; cæteros autem non item. sed spretis his nugis, si tunc neq; oues, neque Pastores fuerint: consequens est, eos à dominico grege alienos, verbo Dei rebelles, & Christi contemptores extitisse. siquidem clara est vox Domini, oues meæ vocem meam audient.
Io. 10. e. neque minus clara illa ad Apostolos atque ipsorum successores, legitimos nimirum Pastores, Presbyteros & Episcopos: Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit. sed pergo ad ea o-
Luc. 10. c. mnia, quæ quoquo modo suæ functionis temeritati ceu nebulas quasdam, lucem obumbrantes prætexere, aut solent, aut possunt.

Sola scientia non reddit legitimũ Ministrum Ecclesiæ.

Et primum quidē assero non sola scientiæ istos, qua aliis præstant, opinione legitimos Pastores esse; cùm sæpe omni scientiarum genere plurimis aliis, etiam suæ sectæ hominibus, plerique omnes Ministri inferiores esse dignoscantur, quos nequaquam ipsi certè ea ratione Ministros esse existimant. Et rectè quidem, si per Ministros intelligerent, quos Spiritus sanctus præficit Ecclesiæ; eos, inquam, quos verbum Dei expressissimum peculiaribus nomi-

nominibus vocat, nō Ministros & Superintendentes, sed Presbyteros & Episcopos; siquidem tanti muneris gratia confertur idoneis personis, cum impositione manuum, ipso Apostolo teste. Cùm verò potestas manus imponendi solis Episcopis, cuiusmodi nulli nunc in Germania saltem apud sectarios inueniuntur, competat: nulli tales Ministri, quales Apostoli, disponente Domino, Ecclesiis præfecerunt, apud eos esse valent. Porrò dicent fortasse, se zelo instaurandæ religionis, atque purioris doctrinæ, quàm Papistarum otio, inscitiaque ac nequitia corruptam videbant, ad subeundam hanc prouinciam fuisse accensos. At meminerint zelum, qui non est secundùm scientiam, adeò parum Deo gratum esse, adeoque à pij hominis officio alienum, vt inde Oza ille, qui ad subleuandam arcam Dei non leuiter inclinantem, manum temerè apponere præsumpserat, non laudem, neque vitam, sed præsentem mortem & ignominiam meruerit, eò quòd Leuites tantùm, cùm esset Sacerdotis munus, licet graui, vt putabat, imminente periculo, aliqua ex parte in se suscipere tentârit. Est profectò non pij zeli, sed magnum diffidentis animi de diuina prouidentia argumentum, vel in rebus seculi, quantumuis inclinare videantur, subhæsitare, si ita se, Deo castigante, aut permittente, habeant, an secus, casu putâ vel sola hominum volūtate: cùm omnes pilos capitum nostrorum numeratos habeat ille, cui cura non solùm de nobis peculiari suo populo, sed de rebus humanis, sicut & de cæteris omnibus est. Quare tametsi multi inueniuntur sæpenumero singulari prudentia viri, qui multò rectiùs & feliciùs Remp. moderari forsan possent, quàm Magistratus ipsi, quàm Duces multi, Principes & Reges; quis tamen, vel ipsis pessimè nonnunquam ac iniquissimè agentibus, continuò se in eorum munia ingerit, sibi fasces arripit, ius populo dicit, sceptro gubernat? hoc sanè, si tentare, in terrenis esset amentia: an nō in cœlestibus esset summa impietas, sacrilegium, & abominanda temeritas? Qui credis hæc ioco potiùs, quàm ex animo & verè dici: veniat tibi in mētem Mariæ lepra percussæ, Aaronis grauissimæ offensæ, non propter Mosen loco deiectum, sed murmuratione tantùm & obtrectatione violatum. Memento itidem magnos illos & Deo quondam acceptos Reges, Saulem Regno expulsum; Oziam leprâ fœdatum: quorum nec ille Samuelem, nec hic Azariam sacerdotio exturbare conatus aliquando est: sed partem tantùm sacerdotalis

1.Tim 4 d. 2.Tim.1.b.

Neque pius zelus solus.

2.Reg 6.b. 1.Paral.13.c.

In populo sunt aliquādo magis apti quidam ad regimen quàm Principes ipsi.

Plagæ, quibus percussi rebelles. Num.2.a.

1.Reg.15.e. 2.Paral.26.d.

muneris temerè sibi vendicare. Si ista tibi parua videntur, nec obfirmatum animum emollire, nec tanti sceleris horrorem incutere quęunt: reputes tecum, velim, Core Leuitam, aperiente terra os suum, ad inferos viuum descendisse. Neq; hic aliud studuit, quàm partem Mosaicæ, Aaronicæque potestatis sibi arrogare.

Num. 16. c.

Omnes esse nunc sacerdotes, quo sensu.

Sed pergo. Addent forsan non eundem nunc esse statum populi, Euangelica libertate fruẽtis, & illius olim presſi Mosaica seruitute. sed olim vni familiæ sacerdotium delegatum fuisse; nunc autem gratia Euãgelij omnes esse Sacerdotes. Addo & ego, quotquot Christum verè induunt, sicuti Sacerdotes, ita & Reges & sanctos esse. Ita enim, debellatis cupiditatibus, sese Domino sanctificantes, sua ipsorum corpora hostiam viuam, sanctam, Deoq; placentem, atque alia gratissima Deo sacrificia in spiritu offerunt, & veritate. Nam vt, dicatum esse Deo, Sancti proprium est: ita Regis, hostes (cuiusmodi sunt animi vitia) debellare, & Sacerdotis, sacraficia offerre, non minùs est proprium.

Quare nunc potiùs in sacerdotum cathedras, quàm in regum solia irruatur.

Cæterùm cùm Christiani omnes sint nõ minus Reges, quàm Sacerdotes: quærat iure quispiam, vnde fit, quòd in horum cathedras potiùs, quàm in illorum solia isti homines irruant? quòd istis Biblia citiùs explicanda sibi, quàm illis sceptra sibi moderanda adimere malint? non alia profectò ratione, quàm quòd multò magis sibi à virga ferrea, qua valent Principes, quàm à virga Apostolica & Ecclesiastica censura, qua valent Sacerdotes, sibi caueant: maiorem nimirum curam corporum, quàm animarum habentes: magis homines quàm Deum ipsum timentes. Etenim si consulatur autoritas expresſi Dei verbi, (quod Coritæ isti sua futilitate impiè admodum profanant) clarior inde multò euadet legitima Episcoporum, Presbyterorumq; succesſio, quàm secularium Principum. Multò, inquam, ex scripturis manifestiùs patebit, hunc vel illum esse Presbyterum aut Episcopũ, quàm inde vllos esse verè Principes aut Reges. Non igitur à suffodiendis, euertendisque Principum thronis, autoritate verbi Dei, sed potestate brachij secularis deterrentur; Vt ex iis, quæ infrà breuiter docebimus, si quis hoc sibi ex ærumnis nostri seculi nõdum satis persuasit, abundè perdiscere poterit. Sed ad ipsorum vocationem nunc nostra se recipiat oratio.

Manifestior est sacerdotum certiorq; ex Dei verbo, quàm Principum succesſio.

Neq; sola populi electiõe fit quisquã legitimus Ecclesiæ minister.

Præter superiores rationes, non minimam esse eam existimant, qua ab alicuius pagi, aut oppidi Magistratu ad suum mini-

sterium

ſterium eligantur, vocentur; maximè autem ſi ampliore conducantur mercede. Quamuis eò nunquam vocari ſoleant, niſi priùs ipſi à nemine miſſi ſponte ſua currant: niſi priùs ſuas operas, quas habent, venales proſtituant. Sic præcurrit olim (cuius hîc crebram mentionem facere operæ pretium eſſe duco) impius ille Core Leuites: neque is infirmos habens patronos; ſed Dathan & Abiron, primores tribus Ruben, ipſius Patriarchæ Iacob primogeniti: qui & ea ratione ſacerdotale ius ſibi quoq; deberi inſinuabant, ſicut & nunc proteſtantes vbique omnes iura ſe ſacerdotalia habere arbitrantur. Deinde & hunc approbauit, non infrequens Magiſtratus: ducenti nimirum & quinquaginta viri: nec ij qualeſcunq;, ſed proceres ſynagogæ, & qui (vti ſcriptum eſt) tempore Concilij per nomina vocabantur. Sed quem fructum laboris retulêre, audite ipſum expreſſum Dei verbum. de eorum prioribus ſic ſcribitur. Confeſtim vt ceſſauit (Moſes) loqui, dirupta eſt terra ſub pedibus eorum: & aperiens terra os ſuum, deuorauit illos cum tabernaculis ſuis, & vniuerſa ſubſtantia eorum. deſcenderuntque viui in infernum, operti humo & perierunt de medio multitudinis. Ecce quos mare circundans, ab hoſte liberos ſeruauit, terra ſuis fluctibus protinus abſorpſit. De poſterioribus autem ita: Sed & ignis egreſſus à Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incenſum. Si horum ſceleris magnitudinem, ex ſupplicij atrocitate, metiri quis vellet, vt meritò tanquã ex effectis cauſam debet: facilè videbit, quàm horrenda fuerit horum impietas: qui inauditæ priùs mortis genere ſubitò extincti ſunt. Inter crimina omnia nullum vna idololatria, qua cultus Deo debitus creaturæ defertur, grauius eſſe iudicatur: ea tamen ſeueritate caſtigatam illam eſſe non legitur; vt ſcias, quanto in honore ſacerdotalem dignitatem, atque eam, quam Deus ipſe, contulerat hominibus eſſe voluit poteſtatem: atque ideo ne promiſcuè quidem multitudini, quæ iſtorum audacium fauiſſe videtur temeritati, pepercerat: Nam, cùm murmurauit omnis multitudo filiorum Iſraël, vt ſcribitur, ſequente die contra Moſen & Aaron, ad eoſque dixit: Vos interfeciſtis populum Domini, interierunt, percutiente Domino, quatuordecim milia hominum & ſeptingenti; atque multò plures fortaſſe interiiſſent, niſi Aaron, iubente Moſe, hauſto igni de altari ſuſtuliſſet thuribulum, obtuliſſetq; thyniama, ſtans inter mortuos & viuentes; atque ita demum ceſsâſſet plaga. Et ne

Num. 16. a.

Nec electione Magiſtratus ciuilis.

Ibidem e.

Nullum crimen tam ſeuerè à Deo caſtigatum, quã rebellio in eius ſacerdotes.

Ibidem f.

huius rebellionis in Dei Sacerdotes, æquissimæque eius vindictæ posteris aliquando obreperet obliuio; iussit Deus rebellium thuribula, non quidem per Aaronem, sed per Eleazarum eius filium (volens inde sacerdotalis successionis progeniem commendare) tolli & in laminas produci, ac suo altari affigi; vt haberent posteà filij Israël (habet expressum Dei verbum) quibus commonerentur, ne quis accedat, alienigena, & qui non est de semine Aaron ad offerendum incensum Domino, ne patiatur sicut passus est Core, & omnis congregatio eius. Alienigena proculdubio in noua lege est, quod attinet ad iura Presbyterorum & Episcoporum, quisquis legitima ordinatione, ad sacerdotale munus non fuerit, quemadmodum fuerunt Aaron, Eleazarus & eorum successores, vocatus,

Quis alienigena in noua lege.

Sacerdotale munus assumunt sibi Ministri. Nam quamuis à publico Ecclesiæ iure & singulari ipso sacrificio, quod à solo sacerdote offerri potest, impiè abhorreant, sacerdotio tamen vim inferunt, cùm Dei legē ipsi sua autoritate freti explicare populo prǽsumant: quā ex ore sacerdotis requirere debet, iuxta id, quod disertis verbis Dominus per Prophetam prænunciabat futurum: Labia, inquit, Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius. Et rationem subdit, Quia Angelus Domini exercituum est.

Qua ratione Ministri abhorrentes ab Ecclesiæ singulari sacrificio, irruant in sacerdotium.
Malach. 2.b.

Est proinde Sacerdos Angelus, nūcius siue Dei Legatus, iuxta id, quod de se suisque collegis loquitur Apostolus, dicens: Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo, exhortāte per nos. Et alio loco: Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorū Dei. Ad Dei mysteria refertur non solùm tremendum illud Ecclesiæ sacrificium, (cuius offerendi ratione, propriè Sacerdos quis dicitur) nō sola Sacramenta, sed & diuinæ legis explicatio. Hanc postremam itaque partem, profanatis Dei Sacramentis, cùm sibi maximè arrogare studeant Ministri, an non suæ legationis functionem ante omnia ostenderent, probarent & indubitatam redderent, nisi se Coritas & Dathanitas à fidelibus iure haberi vellent?

Sacerdos Angelus Dei.
2.Cor.5.d.
1.Cor.4.a.

Neque minus impiè istorum seditionis rei censeri debent, quòd nullum ministeriale sacerdotium in Ecclesia iam agnoscāt: sed multò magis eo nomine se tumidos, superbos, Deoque & Ecclesiæ rebelles declarant. Non enim rebelles illi Aaroni sacerdotium prorsus ademptum, sed secum duntaxat id communicatum cupiebant. At verò isti nō solùm Sacerdotibus sacerdotalem functionem,

Grauiùs multò nunc peccāt Ministri in sacerdotes Dei, quā olim Core, Dathan et Abiron: grauiùs & in Deū ipsum.

ctionem, sed & Deo ipsi sacrificium detrahere student, cùm Deum proprio cultu, externo nimirum sacrificio, quo Dominus omnium esse palam annunciatur, neque ipsi in honore habeant, neq; alios pacificè in honore habere permittant.

Neque verò pios mouere debet, quòd hunc diuinissimum cultum isti spernant, contumeliis lacerent atque execrentur: cùm constet scriptum esse: Execrationem peccatori esse cultum Dei: cumque rursus hunc cultum, coruscante vero Euangelio, in honore futurum tot illustribus testimoniis prædixerint sancti Dei Prophetæ, nouam legem veteri, ea in re maximè opponentes, & dignitate anteponentes. Nam, cùm olim in sola vrbe Ierosolyma altare Deo erigere, & sacrificia offerre liceret; prædixit Isaias, in medio Ægypti, inter superstitiosissimas, quasq; & efferas, aliquando gentes, altare Domino erectum iri: Altare, ex quo omnia, quæ in mundo iam sunt altaria, vt eruditissimus quidã vir rectè notat, habemus. Ægypti enim nomine omnes gentes intelligi videntur. Altare de quo soli Christi fideles, non autem ij, vt scribit Apostolus, qui tabernaculo deseruiunt, edendi habent potestatem. Altare breuiter, ad quod non vult Dominus munus à quoque offerri, vt rectè scribit. D. Optatus, nisi priùs reconcilietur fratri suo. Adhæc & Malachias Propheta in omni loco offerendam Domino oblationem apertissimè prænunciauit: atque eam, non qualem olim in impuro sanguine hircorum aut vitulorum offerre consueuerant; sed prorsus mundam: Cuiusmodi sola inuenitur hostia corporis & sanguinis immaculati agni, qui mundat nos à peccatis nostris. Hæc enim sola est, quæ in omni loco, cùm vna prorsus numero sit, omnipotentia verbi Dei offerri iam posse vobis innotescit. Olim ex vna solaque tribu Leui eligebantur ad Dei cultum Ministri: ita tamen, vt ex sola Aaronis familia Sacerdotes. At idem Euangelicus Propheta Isaias disertissimis verbis testatus est, vt omnes gentes vocandas esse ad Ecclesiam: ita ex ipsis gentibus assumendos esse in Sacerdotes & Leuitas. Et mittam, inquit Dominus, ex eis, qui saluati fuerint, ad gentes in mare, in Aphricam & Lydiam, in Italiam, & Græciam, ad insulas longè: ad eos, qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam. & paulò inferiùs. Et assumam ex eis, inquit, gentibus nimirum, in Sacerdotes & Leuitas. Rident Ministri Euangelicos Sacerdotes, sed rident interim præter alios, Euangelicum Prophetam Isaiam: rident & Do-

Marginal notes: Ecclesi. 1. d. — Altare Dei in noua lege. Isai. 19. c. — Hebr. 13 b. — Matth. 5. c. — Lib. 6. contra parm. — C. 2 a. — Hostia munda nouæ legis. — Sacerdotes olim ex vna tribu, nũc ex omni gente assumuntur. — Isa. vlt. f. — Qui ridẽt Sacerdotes nouæ legis, rident Prophetas, Christũ ipsum, et Apostolum Paulum.

ctorem gentiū, qui de Sacerdotibus ita scribit: Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur. Rident forsan etiam ipsi ridendi aut deflendi magis, per Presbyteros hîc nos Sacerdotes intelligere. sed sic non nos, sed vniuersam Dei Ecclesiam, quæ ab ipsis Apostolorum temporibus indifferenter, pro vna & eadem re, has voces semper accepit. Quare, qui hoc negant aut non legunt Ecclesiæ Patres; non dico Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Gregorium Theologum, Chrysostomum, & qui eos deinceps ætate & doctrina, Græci & Latini in hunc vsque diem sunt insecuti; sed eos, qui proximis Apostolorum temporibus, quicquam nobis suis scriptis reliquerunt (cuiusmodi apud Græcos quidem extant, Dionysius, Ignatius, vterque Clemens, Romanus & Alexandrinus, Origenes; apud latinos verò, antiquissimus omnium Tertullianus, Cyprianus, & si latinè scripserit Irenæus) aut plus quàm Cyclopicam superbiam suam produnt, qui vniuersę Dei Ecclesię, per horum, proculdubio, ora nobis loquenti opponere se audent. Porrò iam omissa & scripturæ, Conciliorumque, atq; Patrum autoritate, ego perquàm vulgari argumento ostendam, Dei Ecclesiam nihil aliud vspiam per Presbyterum, quàm Sacerdotem intellexisse. Quæratur à quopiam Ministro: sit ille Italus, Siculus, Hispanus, Gallus, Scotus, Anglus, Danus, Gothus, Germanus, Polonus breuiter, Hungarus aut Dalmata, quid sua vernacula lingua Sacerdos significet, & fallor ego, si aliter poterit sincerè & propriè, quàm nomine Presbyteri interpretari: licet corruptè vnusquisq; pro suæ linguę dialecto. Et ratio in promptu est. Nam sicut ab Apostolis primùm Ecclesia vbiq; ipsas res sacras accepit, ita cum rebus (vt in iis, quæ seculi sunt, nunquam non contingit) rerum nomina accepit & studiosè seruauit: atque id, vt deuitaret, suadente Apostolo, profanas vocum, siue inanitates, siue nouitates. Vnde luce clarius euadet, Presbyterum in Apostolicis scriptis non esse seniorem aliquem laicum, quem suis rebus in congregatione gerendis præponunt Ministri: sed esse eum, qui vulgò vbique ferè terrarum Presbyter, licet, vt iam diximus, corruptius, vt fit à diuersis nationibus, paulò aliter atque aliter proferatur. Quod autem de voce Presbyteri asseueramus: idem iudicium esse debere de voce Episcopi vsus Christiani populi confirmat. Et rursus, neque obscuriùs euadet, Ministros haudquaquam esse eos, quos Apostoli instituerunt, Presbyteros, neque Superintendentes

[Margin notes:]
1. Timoth. 5. b. Presbyteri nomine intelligi Sacerdotē probatur.

Qui aliter sentit, opponit se vniuersæ Dei Ecclesiæ.

Ex communi omnium gētium sermone probatur.

Res nouæ aliunde importatæ secū noua, sed sua important vocabula.
1. Timoth. 6. d.

Vox etiam Episcopi, sicut Presbyteri, apud oēs Christianas gentes, seruatur.

tendentes esse Episcopos; cùm ab his vocibus, quibus sacra ea munera insigniebant Apostoli, prorsus abhorreant; &, cùm per voces res nobis innotescant, quis inde aliud colligere poterit, quàm quòd à rebus per voces significatis non minus abhorreant. Quid quòd in Scotia, vbi Caluinici per 20. circiter annos liberè ferè, proh dolor, ita imperitârunt, vt suæ impietati, quam religionem vocant, certam in omnibus formam præscribere potuerint, Episcopos suos, à suis Superintendentibus & nomine & officio planè distinguant, & Presbyteros nullos agnoscant. Quare cùm sacræ literæ Ministros istos & Superintendentes nusquam probent, qua temeritate potest vllus, qui Christo nomen dedit, eos, vt Ecclesiæ Rectores, probare?

Ministri & Su-perintendentes cùm neq; Pres-byteri, neq; Epi-scopi sint, De Ecclesiæ Mini-stri & Rectore non sunt.

NOTA.

Sed crebra est, inquient, Ministri vox in scripturis. Creberrima quidem: sed nunquam tamen absolutè, maximè pro Presbytero, aut quouis alio peculiari functione in Ecclesia prædito, neq; aliter nisi per subauditionem huius aut illius; veluti eo loco. Vnus assistens Ministrorum dedit alapam Iesu. Quamobrem si absolutè Ministrum dicas, tam commodè possit pro tali accipi, quàm pro Ecclesiæ Pastore. Nec profectò impio huic Pontificis Ministro absimiles sunt, quotquot errores & hæreses in Ecclesiam inuehunt, aut inuectas propagant & tuentur. Nam eiusmodi homines, qui veritati ipsi, qui Christus est, & doctrinæ eius, ore & spiritu, toto orbe tot annorum centuriis disseminatæ, radicatæ & assertæ obsistunt, rectissimè quidem Christum in faciem cædere, ipsique alapas & colaphos impingere dicuntur. Scribit Apostolus in hęc verba: Sic nos existimet homo, vt ministros Christi. sed ne hoc ministerium confundat cum eo, quod est secularis potestatis, de qua docet alio loco: dicens, Non sine causa gladium portat: Dei enim minister est, statim se declarat, cùm subdit & dispensatores mysteriorum Dei. Dispensatores igitur isti se potius vocarent, quàm Ministros; si ex hoc loco se cum Apostolis probare vellent quicquam habere commune. Nec tamen Dispensatores mysteriorum Dei, cuiusmodi erant Apostoli: quibus omnium Ecclesiasticarum rerum summa insolidum competebat: penes quos erant mysteria & iura omnia, siue doctrinę, siue Sacramentorum, siue aliis modis per claues regendi Ecclesiam: quæ, si quis ipsis concedere vellet, non tamen concederent ipsi Superintendentes: quæ sibi aliqua iura, certum est, præ communi ministellorum grege reseruant.

De voce Mini-stri, quæ in sa-cris pro peculia-ri aliqua functio-ne, nouatorum more, non poni-tur.

Io. 18. d.

Ministri etiam num hodie im-pingunt alapas ipsi Iesu.

1. Cor. 4. a.

Rom. 13. b.

Dispensatores.

An Superinten-dentes nihil dif-ferât à Ministris

alioqui

alioqui bene à vobis καταχρηστικῶς & impropriè, ficuti à feipfis inceptè, & tantùm nō barbarè Superintendentes (fi ęquale omnino iugum cum aliis Miniftris trahant) dicerentur. Atque eadem ratione non Miniftri noui Teftamenti, vt dicebantur Apoftoli, nifi vnum omnino gradum Miniftrorum, Superintendentum, Lectorum, Diaconorum & Seniorum (quos omnes in negotio religionis, extra politicæ poteftatis ordinem, multis locis effingunt) fibi conftituant, dici poterunt. Cæterùm de amplitudine vocis Miniftri, etiam in ipfis facris literis, quid hic loquar? cùm ea non modò Deo ipfi & hominibus piis, fed & hofti humani generis atque eius impiis fatellitibus, inferuientes complectatur. Non eft mirum, ait Doctor gentium, de Pfeudoapoftolis & Pfeudoprophetis transfigurantibus fe in Apoftolos Chrifti, verba faciens: Ipfe enim Satanas transfigurat fe in Angelum lucis. Non eft ergo magnum, inquit, fi Miniftri eius transfigurentur, velut Miniftri iuftitiæ: Sedebat mifer Petrus, protinus Chriftum negaturus cum Miniftris. Et miferunt Principes facerdotum Miniftros, vt comprehenderent Iefum. Et contrà: Sacerdotes nouæ legis (quos ifti vatiniano odio impiè profequuntur) non ignoramus, ficut & Angelos ipfos, Miniftros Dei dici: Miniftri tamen nomine, aliquod peculiare officium in Ecclefia Chrifti abfolutè defignari, donec aduerfarij aliud doceant, pernegamus. Ad Sacerdotes autem Chrifti Apoftolos, & eorum fucceffores fic loquitur fpiritus Dei per Prophetam, fimulatque depinxiffet nobis Chriftum ipfum; Vos autem Sacerdotes, inquit, Domini vocabimini, Miniftri Dei noftri, dicetur vobis: fortitudinem gentium comedetis, & in gloria earum fuperbietis, &c. Ecce peculiare & proprium functionis nomen, quo vocari vult Dominus Apoftolos, Apoftolicosque viros, eorumque in omne æuum fucceffores veros noui Teftamenti & verbi Dei Miniftros, Sacerdos eft, qui & ratione facerdotij Minifter Dei dicitur, vti & alia ratione Reges, Miniftri Dei, & regni illius alio loco appellātur. Audite ergo, ô Reges, &c. quoniam, cùm effetis, inquit, Miniftri regni illius, non rectè iudicâftis. Sed forfan non vacat myfterio, licet, iniquitatis, quòd titulo tam latè patente fe infigniri geftiant. Nam cùm de facris omnibus muneribus fe iam pridem triumphâffe exiftiment; quid reftat, nifi vt ad fubiicienda fibi regna & imperia fæculi animū tandem adiiciant? Non enim minùs Reges quàm Sacerdos, Dei Miniftri, vt fuprà patuit.

Marginalia: An vnus gradus omnib⁹ omniū, qui nouis Ecclefiis præfunt. — Quàm latè pateat Miniftri vox. — 2. Cor. 11. c. — Ifai. 61. b. — Apoftoli ꝓprio functionis nomine dicti funt à Propheta, Sacerdotes Dei. — Sap. 6. a. — Quo myfterio ifti gaudent Miniftri dici.

patuit,& dicendi & habēdi sunt.Neq; obscurè se vtrunq; ministerium,& politicum & Ecclesiasticum, sibi vēdicare velle insinuant; cùm in vulgus quęstionem agitare incipiunt,quęrentes: Nobisné magis an Cæsari in religionis negotio obtemperādum sit? Quare autem religionem prætendunt,& tremendum Dei nomen,stupidior est,qui non psentit.Hunc etenim sensum quæstionem continere iam ostendimus.sed,quod cœpimus de legitima istorū vocatione,ad eam saltē,quam retinere se dicunt, sacræ functionis partem, circa ministerium verbi Dei & Sacramentorū, procedamus.

Reiecto igitur nouæ legis sacerdotio, se Dei verbi præcones appellari summopere gaudent: sed, an salua Dei verbi autoritate hanc cathedram conscendant, annè potiùs repugnante Dei verbo,temerè eò se ingerant,(si verò simul & aduersùs Dei veritatem pugnantes pestilentiæ cathedram obtineant, alius dicendi locus erit)iterum atque iterum dispiciendum est. Primùm eruditionis quidem opinione, qua thrasonicè olim Gnostici illi,licet indocti admodum,sicut & insulsi, in Ecclesiam regnare volebant, non posse istos esse legitimos Ecclesiæ Pastores, neque promiscui vulgi, neque populi primorum suffragiis iam constat: forsan ad magnorum Principum atque Regum electionem prouocabunt. Verùm meminisse eos rursus velim, Dathan & Abiron, non paruos Principes in Dei populo habitos fuisse. Et, quod ad Reges attinet, magnum Regem fuisse Ieroboam, qui decem tribubus Dei populi, propter peccata imperitare permissus erat. At magnum fuisse illum interea Ecclesiæ Dei, veræ fidei & religionis euersorem, ingeniosum schismatis, errorum & idololatriæ autorem liquet: & eum denique, qui perspicuam non modò omnium Schismaticorum, Hæreticorumque figuram, sed expressam potiùs imaginem gesłit. Is enim,vt suis & seculi inseruiret commodis, vt firmum sibi regnum aduersùs Dauidis posteros constitueret, nullam veri sacerdotij, nullam diuinæ legis,nullam suæ ipsius conscientiæ rectè prius institutæ rationem habuisse scitur. sed abiectis Dei Sacerdotibus,veroque eius cultu,atque sacrificiis abdicatis,quæ in sola sancta ciuitate Dauid, figura sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Christi sponsæ (extra quam nihil fit Deo gratum) offerri secundùm legē poterant: fabricari sibi vitulos aureos, phanamq; in excelsis erigi curauit:per quę omnia remorari voluit populum, ne ascenderet ad domum Dei. Neque hîc deesse sibi voluit Ministros: eadem scilicet temeritate, qua erexerat idola. Et certè non

Non sola Principum electione, fiūt legitimi Ecclesiæ Ministri.

Ieroboamus omnium Schismaticorum & Hæreticorum figura,aut viua potiùs imago.

3.Reg.12.f.& deinceps.

In sola Ierusalē, olim figura Ecclesiæ, sacrificia offerebantur.

minus illam exprobrant ipsi sacræ literæ, quàm hanc impietatem. Prǫuiderat enim Deus, per legitimos Sacerdotes, omnia secũdùm legem effectum iri: atque eius rei præclarum quidem specimen, & Sacerdotes Dei eo tempore exhibuerunt. Qua de re ita scriptum
2. Paral. 11. b. est: Sacerdotes autem & Leuitæ, qui erant in vniuerso Israël, venerunt ad eum (Roboam Regem Catholicũ) de cunctis sedibus suis, relinquentes suburbana & possessiones suas, & transeuntes ad Iudam & Ierusalẽ: eò quòd abiecisset eos Ieroboam & posteri eius,
3. Reg. 12. b. ne sacerdotio Domini fungerẽtur. De Sacrilegio autem Ieroboami alio loco. Et fecit, inquit, phana in excelsis, & Sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filiis Leui. Postremò & domum ipsius Ieroboami propterea maximè deletam esse cõstat: eò quòd
Ibidem 13. g. tales sibi sacrorum suorum elegerit Ministros. sic enim scribitur: post verba hæc (Prophetæ nimirum prædicentis, Sacerdotes excelsorum tandem aliquando immolandos esse ipsos, super altare in Bethel) non est reuersus Ieroboam de via sua pessima: sed econtrario fecit de nouissimis populis Sacerdotes excelsorum: quicunque volebat, implebat manum suam, & fiebat Sacerdos excelsorum: Et propter hanc causam peccauit domus Ieroboam & euersa est, & deleta de superficie terræ.

Quàm sit horrẽdum contemnere sacerdotium Christi, aut eligere sibi Magistros mendaces.

Quo loco hæc obseruanda veniunt. Primùm quàm horrendũ sit, violare & abdicare sacerdotium à Deo institutum; quod tunc quidem soli tribui Leui, vti nunc tempore Euangelij, solis Apostolis, eorumq; successoribus & ab eis ordinatis competit. Deinde & quàm profanum sit, quòd Principes quidam seculi, prurientes auribus, coaceruent sibi Magistros, & Sacerdotum loco, profanos quosdam & laicos Ministros sibi instituant; atq; eosdem de nouissimis populis & de fæce plebis: sartores nimirum, pistores, pelliones, sutores, atque caupones, & quod est omnium fœdissimum, nostros apostatas, ventri & eis, quæ sub ventre sunt, addictissima mancipia. Et si affirmant aliquando iam alios meliore loco natos, aut maiore eruditione præditos: assumunt tamen non aliter, quàm olim Ieroboamus; penes quem constituendi, ordinandíue Sacerdotem, etiam si nullum admisisset veræ religionis errorem, nihil omnino iuris erat: atq; ideo vt ex populo sibi deligũt, ita eos populares mereq; laicos, ne dicam, profanos sibi habẽt: Notantur & qui ministeria popularibus his hominibus vendũt. At dicet forsan hîc quispiam parum linceus, nusquam eiusmodi negotiatores apud Papisticǫ religionis reformatores inueniri iam posse. At ego

Imitatores Ieroboami multi iã Principes viri. Ministri omnes aut laici aut prophani. Qui vendũt ius Sacerdotij cum Ieroboamo.

contra

contra quantumcunq; lippus,&malè iniunctis oculis esse iudicer, lōgè aliud mihi videre videor:munuscula scilicet illa,quibus pauperculi illi & populares Sacerdotes manum Ieroboamo implere poterãt; si cum ea rerum copia & exuberante affluentia, quam Ministri iam suis Principibus & Magistratibus vbiq; offerunt, nec non & obtrudunt, illa vix straminea existimari debere, aut Codri suppellectilem : hanc autem planè auream & Cræsi opibus maiorem. Obtusior est,qui huc animum adiiciens,illud ipsum mecum non perspicit.Nam Ministri,vt sibi,vxoribus,liberisq; suis buccellam sacerdotalis panis suo tempore acquirant, cætera omnia sacerdotalia &Ecclesiæ bona,decimas,redditus annuos,atq; agros Principibus suis ac Magistratibus in fiscum cedere imperpetuum, hæreditario iure impiè admodum contendunt: Impiè,inquam, quoniam ignorare non possunt,omne,quod semel Domino consecratum est, alienatum prorsus esse à mundo & seculi vsibus,& sanctum sanctorum,vti scribitur,esse Domino. Illud cùm non cre didisset Chaldeorũ Rex Balthazar,sed abutens vasis Domino sanctificatis è medio sublatus, & se & suos regno eadẽ nocte deiecit. Leuit.27.d. Daniel.5.a.g.

Accedit postremò,quòd,qui hęreses in Ecclesiam important, aut importatas suo ministerio & Pseudoprophetia tuentur, rectè quidem Sacerdotibus excelsorum succedere videantur. Etenim cùm Dominus noster descenderet in Ægyptum, suique aduentus fulgore hunc mundum, tenebras inde dispellens, illustraret, tametsi idola illa, crassa,lignea,lapidea,& aurea vbiq; ferè gentium, secundùm præcedentes prophetias,corruerunt: Apollines & alij dæmones tacuerunt:non tamen vllo æuo destitit,callidus ille serpens inueterator malorum, spiritualia quædam idola in animis suorum sibi erigere. Cuiusmodi idola apposite profectò quidam Patres,& pietate & eruditione insignes, hæreses esse definierunt. siquidem quam fidem atq; honorem ipsi Deo,verboq; gratię eius atq; Ecclesiæ, captiuãtes suum intellectum in obsequium Christi adhibere debent, contumaci quadam superbia sibi nimium placentes, suæ ipsorum phanaticæ opinioni adhibere dignoscuntur.

Ministri succedunt sacerdotibus excelsorum. Isai.2 d. Ezech.6.b.& 30.d. Idola spiritalia Hieron.Vincen. hær. Quare hæretici idololatræ sunt.

Cęterum ne ista,q̃ è veteri instrumento hactenus adduximus, minus valida alicui fortè ad reportandã, quàm quærimus aduersùs Ministros victoriam, videantur:afferam deinde & à nouo:sed primùm tamen,axiomata quædã ponam,vnde cætera, quæ huius disputationis sunt,facilè desumantur.sit igitur hoc primum:

Axiomata, vnde quæ sequuntur, sunt desumpta.

Neminem posse in Ecclesia Dei exercere Presbyteri aut Epi-

scopi munus, nisi sit legitimè vocatus: iuxta illud Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Rom.10.c.

Deinde Presbyteri & Episcopi munus inter alia esse Dei verbum prædicare, vt patet Malach.2. 2.Timoth.4. At verò in eam potissimùm functionis partem, multos omni æuo non legitimè vocatos irruisse, constat & in vetere & in nouo populo. 2.Pet.2.a. Ierem.14.c. Ezech.22.g. 3.Regum 22.d.

Prætereà neminè legitimè eò vocari nisi à Deo. non est enim, ait Apostolus, nisi ab eo potestas. Rom.13.a. adeò vt Christus ipse, non seipsum clarificauerit, vt Pontifex fieret. Hebr.5.b.

Porrò quicunque à Deo vocantur, mittuntur ab ipso ἀμέσως & immediatè; quemadmodum in vetere lege Moses & Aaron, in noua Apostolj aut mediatè, vt & horum & illorum successores.

An Ministri ordinaria an extraordinaria potestate sunt missi. Declarent se igitur, oro atque obsecro, Ministri, ne se, aliosque innumeros ad maius iudicium, pro quibus Christus mortuus est, exitialiter fallant: sintné ipsi priore, an posteriore modo à Deo missi? Si quidem priore, à Deo, inquã, vocatione immediata; id nobis declarent. Nam, quotquot eiusmodi fuerũt, magno quidem Dei sigillo, vt ita loquar, in signis, prodigiis & virtutum operatione, palam mundo se missos fuisse demonstrãrunt. Hac

Si extraordinariâ, ostenderent signa vt Moses & Apostoli. enim duntaxat ratione Moses non solùm ostendit se priùs coram sua gente, deinde & coram Pharaone Dei legationem obiuisse: sed & præsciebat se hac quasi armatura instructum prodire, non modò in conspectum infidelium, sed & coram Dei populo debere.

Mosis prudentia. Priùs enim quàm accepisset à Deo virtutem signorum, licet sæpius ab ipso monitus, vt iret & educeret populum de domo seruitutis, non semel videtur detractâsse tantam prouinciam, dicens:

Exod.3. Quis sum ego vt vadam ad Pharaonem? & iterum, si dixerint mihi, Quod est nomen eius (qui te misit) quid dicam eis? Atque rur-

Ibidem 4. sus; Non credent mihi, neque audient vocem meam: sed dicent, non apparuit tibi Dominus. Neque propterea in vllam reprehensionem incurrisse legitur, sed potiùs, propter modestiam & prudentiam, laudem videtur meruisse. Vnde diuina quadam dispensatione, non Mosis tarditate id factum fuisse, rectè quis dixerit; tùm ne audaces temerariè in tam diuina munia sese ingerant; tùm ne populus ab istis ad rauim vsque intonantibus, hæc dicit Dominus, cùm Dominus per eos non sit locutus, vano timore

Christus in virtute signorum apparuit. percellatur. Quin & Dominus ipse salutis nostræ assertor apertè hanc sententiam de seipso etiam confirmat his verbis: Si opera, in-

ra, inquit, non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Quæ autem ipse fecit opera in testimonium suæ missionis, eadem & operandi dedit, & suis Apostolis potestatem: atque etiam, vt ipse ait, illis quidem maiora. quæ res euasit manifesta, cùm per vmbram Petri transeuntis curarentur infirmi. Ioan. 15. d. Ibidem 14 b. Actor. 5. c.

Verùm cùm Ministri suam vocationem, opinor, nullis signis, aut virtutum operatione immediatè à Deo esse, probare possint: super est, vt inter homines descendant, atque eorum calculis, si valeant, confirmatam ostendant: Nisi malint adhuc de priore vocandi modo, siue per signa illa, quæ à grauissimis viris non facta, sed ficta fuisse à primis harum sectarum Principibus commemorantur: siue per scripturas, quod fecit magni quondam nominis Caluini minister in Britania Ioan. Nox: ac etiam eiusdem sectæ strenuus quidam antesignanus Petrus ille Martyr impietatis, pluribus mecum cauillari. Primùm verò de signis & Sectariorum miraculis, quoniam aut nulla, aut falsa & ficta fuisse, vel ex sectariis ipsis, negabit nemo, nihil hoc loco dicam. Ex scripturis forsan aliqua (quod fecerant illi, quorum iam memini) in speciem aliquo modo vera, pro se adferre valent. Et primùm quidem Ioan. Baptistam fuisse verum verbi Dei præconem, ac legitimè ab ipso solo Deo vocatum, tametsi disertis verbis testatur scriptura, quòd Iohannes quidem signum fecit nullum. Vnde inferent forsan, & isti se quoque absque virtute signorum posse esse legitimos Ecclesiarum Ministros. Addunt præterea Amos Prophetam è pascuis ad ministerium verbi Dei, nullis suæ functionis priùs ostensis signis, repentè prosiliisse. sic & de aliis Prophetis suo more argumenta trahunt: quæ penitus ipsorum insolentiam, vt mitissimè loquar, ostentant. Nam, quòd ad Iohannem attinet: non minùs verum quàm vulgare est illud, Deum & naturam nihil frustra operari; frustra profectò per Iohannem operatus fuisset Deus miracula, cùm omnes, vt testatur Euangelista, haberent Iohannem vt Prophetã. Neque mirum: si ea, quæ circa eius conceptionem & natiuitatem miranda signa meminissent. At meminerunt quidem, Sic enim scribit de illis D. Lucas. Et factus est timor super omnes vicinos eorum, & super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc: Et posuerunt omnes, qui audierunt in corde suo, dicẽtes: Quis putas puer iste erit? etenim manus Domini erat cum eo. Audis, posuerunt in corde suo, nequaquã igitur ingratę obliuioni

Nulla signa ostendunt Ministri.

Legatur Dubitantius Lindani.

Refutantur, quę contra necessitatem signorum, afferunt.

Ioan. 10 g.

De Ioan. Bapt.

Luc 1. f.

tam manifesta diuinæ virtutis indicia tradidêre. Si hæc parua videtur, adde quòd & ipsius Domini voce tantopere sit commẽdatus Ioannes, vt inter natos mulierum non eo surrexerit maior. Et

Matth. 11. b.

ne iis, qui nondum crediderunt in Christum, de Ioannis vocatione & ministerio, vllus superesset scrupulus; Propheta vnus & alter apertisśimè de ipsius sacro munere longè antea vaticinati fuerant. è quibus regius ille Psaltes voce & nomĩne æterni Dei Patris, Paraui, inquit, lucernam Christo meo. Erat quippe lucerna & parua quædam facula, quæ magnam illam lucem, solem iustitiæ, velut aurora Phœbum, huius mundi oculum prænuncians, quamprimùm adfuturum: atque ita pararet Domino, quẽ in Spiritu & virtute Eliæ præcesserat, viam: & verbo & vitæ exemplo plebem perfectam: vt de eo prædixit Malachias, & exposuêre quoque Euangelistæ, atque adeò Dominus ipse: vt de vaticinio patris Zachariæ, id ipsum astruentis, nihil hoc loco dicamus. Impudentia igitur est, ne dicam impietas, quòd homunciones isti filij terræ sese cum D. Ioanne in sui muneris iurè conferre audeant. Neque mirum, quòd parum magnificè de Ioannis missione sentiant: quòdque illam non alio loco, atque eam quàm sibiipsis esse imaginantur, habeant: cùm non aliam ferè eius vitam, quàm tantis laudibus Dominus ipse verissimus rerum æstimator, æquissimusque omnium Iudex palam extulit, fuisse arbitrẽtur, ac eam, quam tenelli nepotes vix refugerent: teneram scilicet & delicatam potiùs quàm duram; atque in omnibus magis sibi abundè sufficientem, quàm vlla indigentia pressam. Hoc apparet, cùm desertum, ad quod perrexerat Ioannes, alij parentum ædes in montanis iuxta deserta: alij saltuosa & amœna loca, non procul à paternis ædibus: alij priuatam vitam, non quidem ab hominibus omninò, sed ab hominum tantùm multitudine seiunctam. Vestem deinde illam, quam ex pilis Camelorum fuisse scriptura tradit, satis delicatam, quam vocant vndulatam: locustas non insuaues, quosdam pisces: Cancros nimirum fuisse putant, atque eos spontè gratisque à piscatoribus Iordanis ipsi suppeditatos: abstinentiam à vino & sicera non religioni, sed cuidam ciuili Philosophicæque temperantiæ assignant. In summa, quod Dominus ipse & Euangelistæ non mediocri laudi attribuunt Baptistę Ecclesiaque miratur circa vitæ duritiem, isti noui Scholiastæ & interpretes ad vnum ferè omnes, qui ea de re quicquam scriptis mandârunt; aut

Psal. 131. c.

..3. a. & c. 4. b.

Luc. 1.

Historiã vitæ D. Io. Bap. Nouato..es plurimum ..ut extenuant ..aut peruertũt.

Desertum Bap.

Vestimenta.

(Schamlot.)

Locustæ.

Abstinentia eius.

aut callidè, aut imprudenter (licet alij plus, alij minùs) extenuare nituntur: adeò vt pulcherrimam & vtilissimam ad mundi & voluptatum contemptum, historiam, quam texunt nobis Euangelistæ, exponunt veteres de admiranda planè vita, nec non & de cœlesti Ioannis doctrina suis glossematis adeò deprauare, atque peruertere student, vt non tam diuersa quàm contraria esse videatur. At quo animo isthæc, quæso, omnia? Non alio profectò, quàm vt vitæ institutisquè Monachorum (quibus grauissimi Patres Iohannem Ducem & principem fuisse asseuerant) obtrectent, laudemque ac existimationem, quam vbique gentium illud vitæ genus non temerè obtinuit, suis calumniis atque figmentis detrahant, notam inurant, atque omnem denique existimationem adimant. Qua autem fide id præstant, stupidior est, qui ad Euangelicam de Ioanne historiam, & consentientes Patrum sententias istorum deliria conferet, non statim intelligat. Hæc omnia, quoniam summa fide, pariquè diligentia vir vndequaque inter alios multos nostri seculi doctissimus Petrus Canisius, edito satis amplo volumine de corruptelis verbi Dei, fusiùs est prosecutus, ego hoc loco nihil addam ampliùs, nisi istos Baptistæ exemplo nulla ratione legitimos esse Ecclesiarum Pastores, aut Dei verbi ministros; neque à Ioanne edoctos (quem mentiuntur à Sacerdotibus in Ierusalem defecisse, ab ipsorumque sacrificiis & ritibus abhorruisse.) vt à communione Ecclesiæ Catholicæ ad montes & priuata conuenticula sese subducant.

Eius doctrina.

Ideò quòd Ioan. Dux sit & Princeps Monachorũ. quos iniquo odio isti prosequuntur.

Petrus Canisius.

Quod verò de Amos, aliisque Prophetis futiliter sine mente adferunt, tam ineptum atque absurdum est, vt responsione nulla indigeat. Nam licet Prophetæ ad hoc vel illud populo prænunciandum, & ad Sacerdotes quoque ipsos atque populum nonnunquam arguendos, adque sacrificia illorum, vt vmbras futurorum, coruscante Euangelij luce, aliquando abolitum iri prædicendum, à Domino euocati fuerint, nunquam tamen ipsi, vel sacrificia ipsa declinâsse, vel Sacerdotium sibi vendicâsse, cùm à tribu Leui fuissent plerique alieni, à quoquam leguntur. Quòd autem Samuel, cùm non esset ex posteris Aaronis, esset tamen Leuites, ipsi Heli propter peccata in sacerdotium successerit, non sine illustri Dei testimonio id tentauit. Atqui huius proinde partes, si nouatores imitari studeant: an non æquum est, vt aut proferant nobis, quod habent ad tam sublime munus Dei mandatum: aut

De Amos & aliis quibusdam Prophetis, qui non irruerunt in Sacerdotium Aaronicum.

ad partes Core, Dathan & Abiron, relicto Mose vt Aaron, legitima, inquam, Dei potestate, defecisse à nobis iure censeantur. Sed habent forsan à Deo mandatum vocatione mediata, ordinatione nimirum eorum hominum, qui ad hæc munia aliis impertienda, legatione pro Christo funguntur. Sed & id quoque haudquaquam oscitanter discutiendum est: ne videamur vlla ratione diuinæ, quod absit, ordinationi resistere: aut ad eorum, qui id tentant, ignauè temeritatem conniuere.

An vocatione ordinaria sint Ecclesiæ Ministri.

Quemadmodum primùm ab ipso Deo Mosen, qui Aaroni, licet à Deo etiam vocato, & Eleazaro filio eius sacerdotij ius conferret, illosque in Sacerdotes ordinaret, vocatum iam ostendimus; ita quem Moses, Regia & sacerdotali autoritate præditus, typo adumbrauerat Dominum & Seruatorem nostrum Iesum Christum, Regem Regum, vereque ac maximè propiè vnum Sacerdotem magnũ, qui Apostolos, eorumq; successores Ecclesiæ suæ Ministeriales in omne æuum Sacerdotes constitueret, quantacunque virtutum signorumque operatione polleret, indeque mundo inclaresceret, non sine illustri tamen patris se ad sacerdotium vocantis testimonio, illud munus sibi assumpsisse scribit Apostolus. Tanta est sacerdotalis muneris dignitas, tanta præeminentia. Stolidè quidem & risu planè Sardonico, in suum ipsorum exitium, ridere Ministros hîc sciat candidus lector; quòd Apostolos & eorum successores (vt hoc iterum dicam) apellem Sacerdotes: cùm negare non possint eos fuisse Presbyteros, vti vel ex vi nominis Presbyteri, vbiq; gentium pro Sacerdote recepti, vt alia argumenta silentio iam inuoluam, suprà ostendimus.

Moses Christi figura.

Vterque missus cum virtute signorum.

Presbyter in noua lege sacerdos est.

Heb. 5. a.

Scribit Apostolus, simul atque docuerat, omnem Pontificem, siue vt græcus textus habet, ἀρχιερέα, id est summum seu Principem sacerdotem (quo nomine intelligi illic etiam potest quilibet Sacerdos) ex hominibus assumptũ, ex officio debere offerre dona & sacrificia pro peccatis, non solius quidẽ populi, sed etiam (si vnũ Christum excipias, in quo nullum vnquam fuit peccatum quiq; verè & propriè solus est Sacerdos) pro semetipso, quod nemo (pius nimirum Dei & Ecclesiæ filius) sumit sibi honorem, illum puta, de quo agit, sublimen sacerdotij gradum: nisi qui vocatur à Deo, quemadmodum & Aaron. Ergo quoniam constat ex scripturis, Aaronẽ licet à Deo vocatũ, à Mose tamẽ Dei iussu ordinatum fuisse; nec non & ipsis rebellibus, ac incredulis manifesto iræ Dei

Aaron sacerdos à Deo vocatus, à Mose tamen ordinatus & signis confirmatus.

signo

signo, incendio primùm è cœlo in rebelles immisso, deinde & maiore plaga consumptis, postremò & virga sua primùm florescente, deinde & fructificante legitimam suam vocationem satis superque contestatum fuisse: nobis etiam constare debet eos, qui in Ecclesiastica munia sese ingerunt, & horum nihil in sui muneris defensionem monstrare valent, ex nullis vnquam scripturis, ex nullo Mose, aut habente ordinandi potestatem, ex nullis signis, quibus Deus vti solet, in omni extraordinaria autoritate tradenda, non esse Christi Ministros. si verò non Christi; cuius nisi Antichristi? Num. 16. & 17.

Neque minùs terreat, quòd Aaronis exemplum è vetere lege in medium adduxerimus; cùm hîc Apostolum ipsum imitemur: cumque & in noua lege non minus id ipsum manifestum sit. Audi Apostolum statim ab ipso Aaronis exemplo, de Christo Domino inferentem. Sic & Christus, inquit, non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret: sed, qui locutus est ad eum, filius meus es tu: ego hodie genui te. Atque ne hoc satis conuicisse videretur, addit & aliud ex eodem Propheta testimonium. Quemadmodum ait, & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech. Si æterna Dei sapientia necessarium putauerit, quò uerè agnosceretur verus ipse Mesias, vt præter tot tantaque mirabilia opera, quæ gesserat, tam clarum haberet populus ne falleretur, ex scripturis de eo testimonium: quantopere omnibus verè Christianis cauendum est, ne lupos, à quibus tam instanter & in vetere, ac in noua lege monemur nobis cauere, pro Pastoribus admittamus & veneremur.

Ab Aaronis exemplo probat Apostolus, Christum non seipsum clarificâsse, vt Pontifex fieret.

Hebr. 5. a.

Psal. 2. b.

Psal. 109. b.

Neque minorem huius rei solicitudinem ipse Dominus noster Ecclesiæ suę commendauit. Ipse enim, cui data est omnis plenaque potestas, & eorum, quæ in cœlis, & quæ in terris sunt, mittens Apostolos, vt Ecclesiæ suę Rectores in vniuersum orbem, ait: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Inter alia missiõis munera, quæ à Patre accepit, erat illud nequaquam postremum, quo misit operarios in vineam suam. Ergo & ipsis alios mittendi contulit potestatem: & ipsis quidem solis, & eorum successoribus, vt perpetua doctrinæ & successionis serie, ita demum omnibus ipsa luce clariùs appareret Ecclesiam esse, quod dicitur, columnam & firmamentum veritatis. Ipsis enim Apostolis solis, & qui ipsis legitima ordinatione successuri erant, & eorum vocem audituri, ple-

Vt Christus missus est, ita & ipse alios misit. Cum potestate alios mittendi.

Ioan. 20. c.

Matth. vlt.d. nam illam consolationis sententiam protulit. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. & illud: Ioan. 14.b. Et ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere. Cùm dicat Dominus, Vobiscum omnibus diebus, & vsq; ad consummatioñe seculi; deinde & vobiscum in æternum: satis phanaticorum hominum insaniam coarguit, qui vel dicunt hæc ad solos Apostolos, sicut & illud, Pasce oues meas, ad solum Petrum referri, ineptiunt. Ioan. 21.e. Quasi Petrus & cæteri Apostoli ad seculi consummationem fuissent hîc in carne victuri. Deinde & non minùs insani deprehenduntur, qui interruptionem sanæ doctrinæ in Ecclesia, aut Ecclesiam inuisibilem & incognitam mentiuntur. Hę uamq; tenebrę omnes, & eiusmodi deliria euanescunt luce illorum verborum, vobiscum, & omnibus diebus. Qui verò aliter sentiũt, quàm parum magnificè, rectéq; de Christi doctrina & ipsius Ecclesia sentiunt, testatur ipsa Christi tunica, tam miserandum in modum in vno angulo Europæ, à tot sectis nostro seculo impunè, proh dolor, discissa: apud quas dùm Apostolorum missio, legitimaq; ab eis Presbyterorum successio contemnitur, tot fides confictæ atq; piè renitentibus obtrusæ inueniuntur, quot æduntur non fidei sed perfidię, (si verũ loqui ingenuè liceat) confessiones. Nam fides, nisi vna permaneat, continuò in perfidiam degeneret, necesse est. Aduersùs tantam igitur tam atrocium malorum inundationem, aduersùs tot secum & inter se pugnantes teterrimorum quidem errorum Magistros, inclamãtes: Ecce hîc, & ecce illîc est Christus, qua armatura nos firmiùs munire poterimus, non video: quàm vt verè intelligamus, summisseque audiamus expressum illud Dei verbum. Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Quod ad solos Apostolos dictum esse nemo somniabit, nisi Christo idem, solo Apostolorũ tempore, suam Ecclesiam curæ fuisse cõfingat: itemq; & illud Domini (quod cum priore sententia planè conspirat) Dic Ecclesiæ, quòd si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus, dùm viuerent hîc Apostoli, vim duntaxat habuisse contendat: Nihil enim aliud hoc loco Ecclesia, præterquàm Ecclesiæ Presbyteros & Pastores, vt suprà insinuauimus, denotare potest. Et si Apostolorum tantùm diebus floruit Christi Ecclesia, quorsum spectant quæso tam magnificæ Christi promissiones, de informãda & in veritatem indu-

In Ecclesia perpetuò durat doctrinæ & Presbyterorum successio.

Luc. 10.c.

Matth. 18.b.

Ioan. 14.b. & 16.c.

cenda

cenda, nec non & in eadem conseruanda sua Ecclesia in ęternum? Et si Christus sanè, antequam ranæ istæ coaxare cœperunt, inter omnes gentes, verè non sit ab Apostolis Apostolicisque viris prædicatus, quorsum spectabit illustre illud Apostoli & Prophetæ testimonium: In omnem terram exiuit sonus eorum, &c? Addo si apud quasdam tantùm prouincias in Septentrione florere iam cœperit Ecclesia; quo referetur illud regij Prophetæ, & sexcenta alia apud eundem, aliosq; Prophetas eiusdem sententię, (quę iam, ne institutæ breuitatis limites transiliam, sponte prætereo) Et dominabitur à mari, inquit, vsq; ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum? Et illud eiusdem. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ?

Rom. 10. d.
Psal. 18. a.
Psal. 71. b.
Psal. 2. b.

Hæc verò, si paucis pòst annis, à Domini in cœlos ascensione, Apostolorum sudoribus statim impleta fuisse, cum Apostolo ipso rectè astruamus: an statim deinde ab Apostolorum discipulis deprauatam fuisse veritatis viam, atque ita doctrinam sanam & salutiferam, postremò & ex necessaria consecutione ipsam veritatis columnam Ecclesiam, horreo dicere, prorsus interiisse? Itáne tot sanctissimorum hominum superflui sudores? tot monumenta, inquam, & eruditionis & pietatis toto orbe nobis ante oculos posita, tantus beatissimorum Martyrum sanguis, tot œcumenica Concilia, tanta Episcoporum, aliorumq; doctissimorum Patrum in vna fide consensio, ad exhibendum firmum veritati testimonium habebuntur infirma? Quis obsecro, vel vna scintillula veræ religionis tepefactus, insolentissimam istam insaniam patienter feret?

An Apostolorũ discipulos statim doctrinam corrupisse putemus.

Sed mussitant clanculum suo more phrenetici extra omnes metas, vel diuinæ reuerētiæ, aut humani pudoris positi, qua solent vaga quadam garrulitate; initio quidem verè prædicatum fuisse Euāgelium ab ipsis Apostolis, sed posteà statim ab iis, qui Apostolis successêre, fuisse corruptum. At verò quàm propè ad Machumetis impuritatem accedunt: qui lethalia ista sibi fingunt somnia, obseruatu dignissimum est; cùm ab eo ne vno quidē gradu distare deprehendātur. Is enim cùm plurima de Christo verè prędicet, sanctissimum putā fuisse virum, eundemq; de virgine natum, verū atq; maximum Dei Prophetā, mirāda opera patrâsse, postremoq; & ipsam Dei voluntatē atq; legem sincerè hominibus tradidisse.

Qui illud in animam inducunt, quàm propè accedunt ad Machumetem.

Verùm de suo quid addidit, audite. Sed Christi, inquit, discipuli (quos nos Apostolos dicimus) diuinam illius legem suis commentis corruperūt. Quid verò iam Sectarum Ministri? Quid aliud nisi Christum, & Apostolos doctrinam sanam mundo tradidisse: sed Apostolorum continuò discipulos eam erroribus deprauâsse? Addit præterea Machumetes se missum à Deo fuisse, vt legis sinceritatē, quam docuit Christus, gladio vindicaret. Et isthuc ipsum sentire se impurissimi Caluini Ministri tot cædibus, rapinis atque plus quàm Turcica immanitate, variis in locis nostro seculo demonstrant. Immanes quidem Turcæ, fateor: veruntamen ad inducendam nouam religionis faciem, in suos Principes insurgere, ne dicam atrociter desæuire, vt isti, minimè vnquam tentârunt.

Qui gladio & bellico furore restituerē religionem student, cum Machumete conspirant.

Etsi mores veterum Christianorum obseruare & imitari, vt sanè par esset, isti rudes rerum reformatores vellent: à fera sua barbarie sibi aliquando, vel solo illorum exemplo temperarent. qui, cùm numero & viribus, si humanis niti voluissent consiliis, impiis illis tyrannis Decio, Diocletianoque, & aliis hinc inde sæpe obsistere, dubio procul faciliùs, quàm isti aduersùs suos Principes insurgere sæpe potuissent: vt simplices tamen Christi ouiculæ, per trecentos amplius annos, maximas semper pati iniurias, quàm minimam vnquam inferre maluerunt: idq; summa cum patientia tantisper expectantes, dum ad Dei cognitionem ipsius munere terræ Principes vocarentur. Si igitur felix ille, iuxta vulgatam sententiam, quem aliena pericula cautiorem reddūt: infelicissima esset Germania, si tot cladibus vicinarum gentium admonita, suæ quieti non consuleret: sed summa optimi Cæsaris clementia, singulariq; cæterorum omnium Principum modestia abuteretur. quod facilimè fieret, si aures ad subdolas, seditiosissimasque eiusmodi pestilentissimorum inauditæque temeritatis atque audaciæ hominum, quæstiones accommodaret.

Exemplo veterū Christianorum temperarent sibi homines à violentia.

Germania exemplo aliorum caueat.

Sed respondebunt, scio, qua solent animositate, se nihil noui in Ecclesiam inferre, sed purum Euangelium, multis iam seculis obliuioni traditum, ad præsentem hominum memoriā reuocare; Apostolicam doctrinam in solidum mundo tot annorum centuriis occæcato restituere. Magnifica certè & prima fronte plausibilis promissio: sed incautis tantùm, malè feriatis & praua opinione anticipatis hominibus; cuius farinæ esse solent ij, qui fidei principiorum rudes, Catholicæ catacheseos ignari, vitæque multorum

Quinam solent maximè à Ministris seduci.

impro-

improbitate exacerbati, & zelo interim ſcientia deſtituto vehementiùs excitati. Verùm bene ſibi conſulerent eiuſmodi homines, ſi ſummiſsis animis, reuerenter inque Dei timore de ſancta religione in ſuam ipſorum ſalutem, odio atque ira vacui, ſtudiosè & ſeriò ſecum inciperent meditari; atq; ita vt ſeipſos ante omnia, diſcuſſa priore ſua vita, & lachrymis ab erroribus quibuſcunque repurgata in templum Spiritui ſancto, qui in corpore ſubdito peccatis habitare nequit, piè conſecrarent. Qui enim illotis manibus, quod dici ſolet, ad diuinam Theologiam accedit: quòd ſtatim in ipſo veſtibulo in craſſos errores impingat, cum ipſo duce, luce, ac Doctore veritatis ſit orbus, ac propterea miſer & egenus quantumuis locupletem ſe exiſtimet, nemo mirari debet. In hæreſim itaq; cùm ſit maximè horrendum, & ſummo cum diſcrimine coniunctum ſcelus, vtpote quod à ſana fide, ſine qua Deum nemo videt, in quandam apoſtaſiam abducit, rectè tradunt quidam neminem, niſi aliis diaboli laqueis miſerè priùs fuerit irretitus, labi ſolere. Id, quod Apoſtolus ipſe ſuum Timotheum inſtruens, commendanſque illi ſummopere conſcientiæ ſanitatem, ſatis confirmare videtur, dum ita ſcribit: Vt milites in illis, inquit, bonam militiam, habens fidem & bonam conſcientiam, quàm quidam repellentes circa fidem naufragauerunt. Et rurſus adhortans ad declinandam auaritiam (quo vno malo cum ſua germana ſorore ſuperbia, neſcio, ſi quod aliud hac tẽpeſtate aut latiùs regnet, aut plures in exitium pertrahat) docet & per illius venenum fidem extingui, inquiens: Radix omnium malorum eſt cupiditas: quam quidam appetentes, errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Poſtremò quanto poteſt ſtudio eundem incitans, vt ſanam doctrinam, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam ſuam (vt alia loco explanat) ipſi traditam (quam hîc depoſitum vocat) inuiolatam ſemper teneat: atque ideo vocum nouitates ſeu inanitates, & falſi nominis ſcientiam, quam etiam illo tempore quidam Satanæ ſatellites, Chriſti & Euangelij nomine populo, vti & nunc non pauci illorum diſcipuli, venditare præſumpſerant, diligenter caueat, in hæc verba, valde hoc ſeculo obſeruanda, ſub finem Epiſtolæ prorumpit: O Timothee, ait, depoſitum cuſtodi: deuitans profanas vocum nouitates & oppoſitiones falſi nominis ſcientię, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.

Sanum conſilium.

Sap. 1. b.

Nemo ſtatim in hereſim, niſi aliis prius ſceleribus ſit cõſpurcatus, ruit.

1. Timoth. d.

Ibidem b. c.

2. Theſ. 2. d.

1. Timoth. 6. d.

Tu bellè saltas, dicet quispiam, sed extra chorum, quid ista ad Bythum? quid ista ad institutum de legitima Ministrorum Ecclesiæ vocatione sermonem? plurimum profectò; Primùm, vt admoneam persuasissimum esse debere omni, qui Christo nomen aliquando dederat, neminem in tam tetrum errorem incidere posse, vt putet Christum, qui ipsissima veritas est, qui nec fallere, nec falli potest: idemque & Deus omnipotens, cui nulla vis resistere potest, charissimæ suæ sponsæ Ecclesiæ fidem fefellisse, sponsam vnicam repudiâsse, aut in aduersarij potestatem, nescio per quot secula, (vt phanatici homines somniāt) tradi permisisse, nisi idem flagitiis, aliis tetrisque sceleribus, priùs contaminatus in reprobum sensum fuerit datus; & Dei spiritu planè destitutus. Nunquā enim in homine vllo hæresis, quæ erroris pertinaciā, apostatæque Angeli fastu, hostem veritati constituit, in vllo homine primum fit delictum. deinde vt pius lector oculos ad communes iam omnium gentium mores, vitamq; corruptissimam coniiciat; quò fiet, vt cùm videat totum Christianum ferè orbem à simplicitate puritateque pristina ita demutatum, vitiorumque omnium, quasi nouo diluuio obrutum, nihil miretur nouum etiam hæreseôn cataclysmum, interea temporis aliquot regiones inundâsse: In qua quidem atrocissima tempestate nihil, mihi crede, pestilentius, nihil maiore cum periculo coniunctum, nihil ad subuertendam vniuersam Christianam religionem, imò & sacras ipsas literas, potentius, quàm concedere vel per vnam diem, ne dicam quingentos annos, Christum suæ Ecclesiæ curam abiecisse; eam pestiferos errores vbique pro cœlesti doctrina imbibere: fidei sinceritatem, sacramentaque omnia peruersis opinionibus, & nescio quibus humanis traditionibus corrumpere: aut fœdam, quod maximè horrendum est, idololatriam loco latriæ soli Deo debitæ inuehere, permisisse. Hæc fingunt Ministri esse, propter quæ ipsi sanè à Deo, nescio qua extraordinaria potestate, ad excitandam, veluti à mortuis iampridem extinctam & sepultam Ecclesiam, missi volunt videri. Hæc sunt istorum præclara fundamenta, quibus suam Babylonem extruere student. hi arietes quibus miserandum in modum Christianum orbem iam concutiunt. hi sunt istorum venatorum laquei, quibus non capiuntur, nisi cęci quibus non affulsit illuminatio Euangelij Christi. hæc retia quæ frustra iaciuntur ante oculos pennatorum: eorum, inquam, qui sanę fidei, rectęque

Vbi regnant alia scelera, nemo miretur regnare & hæreses.

Suspicari Ecclesiā à Christo aliquādo relictam, quantum scelus.

Prætextus Ministrorum.

spei

ſpei pennis ad ſublimia Dei promiſſa, à terrenis cogitationibus ſeſe erigunt. hi etenim, quicquid homines leues omnique vento doctrinæ agitati delirent, ſomniët, fingant, pallio ſiue verbi, ſiue nominis Dei mendaciter ornent, inſtar petræ ſtabiles firmiter inhærent magnificæ illi promiſsioni, diuinæ atque aliis ſimilibus. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Impleant aduerſarij cœlum & terram, atque profundum, ſi placet, infernum obſtreperis clamoribus, Euangelicam doctrinam exterminatam, idololatriam præualuiſſe, Eccleſiam obtenebratam nuſquam apparuiſſe: fidelis Dei ſeruus, orthodoxus, Catholicus omni marpeſia caute firmior conſiſtet, innixus his & eiuſmodi promiſsionibus. Ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua; fides Petri non huius aut illius prouinciæ, non vnius aut alterius ſeculi, ſed omnium electorum fides, fides Eccleſiæ, aduersùs quam portæ inferi non præualebunt; fides & veritas, in quam induxit nos Spiritus ſanctus, qui manet, iuxta CHRISTI pollicitationem diſertiſsimam, nobiſcum in æternum.

Conſtantia fidelis viri. Nitendum diuina promiſsione circa Eccleſiæ perpetuitatem. Matth. vlt. d. Luc. 22. d. Ioan. 14. d.

Audiuntné ſatis expreſſo Dei verbo conteſtatum, Euangelicam doctrinam, non eſſe aliquando interruptam aut euerſam: atque ex neceſſaria proinde conſecutione, Eccleſiam neq; aliquãdo defuiſſe, aut Chimęris tenebris immersã delituiſſe, at multò minùs extinctam omnino fuiſſe vnquàm?

Sed non aſſequuntur ſatis Deum in dilecto filio ſuo maieſtate forſan eius attoniti loquentem: audiant igitur loquentem & in angelo: cuius ſententia apertiſsima: Et regni eius, inquit, (nimirum Chriſti) non erit finis. Regnum Chriſti Eccleſia Chriſti eſt, quæ profectò ſine ſana doctrina, rectoque vſu & fide Sacramentorum conſiſtęre haudquaquam poteſt. Porrò cùm expreſſo Dei verbo iam ſatis liqueat, Eccleſiam finem non eſſe habituram: neque minùs liquere poteſt, illa etiam duo, ex quibus generatur maximè & nutritur Eccleſia, nullo fine eſſe terminanda. Si cauillabuntur interregnum, aut regni ad tempus ceſſationem, regni finem non eſſe. At certè interregnum iſtud, quod ſomniant, tantum ſit oportet, vt & prioris regni obliuionem inducere, & ſibi regni titulum pleno præſcriptionis iure vindicare queat. Si quęram de numero annorum, quo tempore iſtæ doctrinæ corruptio, quam arguunt, in Chriſtiano orbe præualuit? alij quadringentos

Luc. 1. c. RegnumChriſti æternum ſine ſana doctrina &c. eſſe non poteſt. Neque ſuſtinet vllũ interregnũ aut ſanæ doctrinæ interruptionem, quam ſomniant deliri.

gentos ampliùs annos à diebus Petri Lombardi, qui primus Shcolasticis Doctoribus viã strauit: alij à Bonifacio tertio, ante annos 900. quo tempore putant Romanum Pontificem à Phoca obtinuisse, vt diceretur totius Ecclesiæ Episcopus. alij à Gregorio Magno, quem autorem definiunt cæremoniarũ: alij illum vltimum bonorum Pontificum dicunt: Sed eodem temeritatis iure sibi vsurpare possunt omnia tempora ab ipsis Apostolis. Addere etiam possent & ipsorum Apostolorum seculum à descensu Spiritus S. in ipsos, Pentecostes die, nisi de Apostolorum doctrina & scripturarum sensu, magis quàm de scripturis iam controuertatur: atque ita nolo pro argumento sumere, quod in quæstione versatur. Ingenuè enim fatendum est, si isti summæ autoritatis viri recta docent, non solùm Lombardum cum Scholasticis, sed & Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Chrysostomum, Basilium, & cæteros omnes, quotquot scripsêre vel Græcè vel Latinè, inter ætatem Lombardi & ipsorum Apostolorum, vno ore vnum & idem suis scriptis clarè, constanter & frequenter inculcantes, & magno affectu nobis commendantes, falsissima docuisse. Sed quoniam hoc planè repugnat liberalissimæ, Domini & Dei nostri iam sæpius memoratæ promissioni, suæ factæ Ecclesiæ; cuius sanctissimi & erudissimi hi Patres præcipua lumina & columnæ fuerant, concedamus ingenuè aduersarios hìc calumniari, vt sacrosanctæ scripturæ veritatem totis viribus, cùm corporis tùm animi astruamus, propugnemus, tueamur. Cæterùm si iam, quas citauimus scripturas, hominũ peruicacitati non faciant satis: neque intelligant Deum in vnigenito filio suo, neque in Angelo loquentem: audiant saltem Deum, atque intelligant veteri populo in obscuris licet Prophetis, hoc ipsum, quod toties inculcamus, apertissimè docentem. Prænuncians enim Deus per Euangelicum suum Prophetam posteriores glorias, quibus Christus sponsam suã Ecclesiam decoraturus esset, ipsius Ecclesiæ futuram sicut amplitudinem, ita & perpetuitatem in eodem, quem semel ipsius munere imbibitura esset spiritu & doctrina, omnes huius disceptationis nodos vno quasi ictu dissoluit, his verbis: Et timebunt, inquit, qui ab occidente nomen Domini: & qui ab ortu solis gloriam eius: cùm venerit quasi fluuius violentus, quẽ Spiritus Domini cogit, & venerit Sion redemptor, & eis, qui redeunt ab iniquitate in Iacob dicit Dominns. Audis Ecclesiæ amplitudinem depingi, ab occi-

Si Nouatores recta sapiunt, veteres omnes erant insipientes, & turpissimè errauerunt.

Vt scripturas defendamus, Nouatoribus resistere cogimur.

Ecclesiæ amplitudo & celer omniũ gentium ingressus. Isa. 59. d.

occidente nimirum ad ſolis vſque occaſum. Cum qua nullę ſectę à Saxonum Propheta, aut poſteà ab eius caſtigatore Geneuenſium Apoſtolo exortę, communé habent fidem; cùm ſuos nidulos nondum extra pauculas Prouincias contractioris Europæ extenderint. in quibus quantum ſecum & inter ſe diſsident, lippis & tonſoribus, non ſolùm erudito ſatis notum eſt. Audis redemptorem, quaſi fluuium violentum Domini Spiritu, benignitate nimirum & admirando erga genus humanum amore incitatum, in Sion & Eccleſiam, adque eós, qui ab iniquitate recedunt, non qui vana ſolius fidei opinione nituntur, venire; non lento quidem gradu, ſed quaſi fluuium violentum ingenti nimirum celeritate: quandoquidem vt regius Propheta in eundem ſenſum ſcribit, velociter currit ſermo eius. Verùm enimuero, cùm ex Sione notiſsimú ſit, legem Dei primùm exiiſſe, & verbum Domini de Ieruſalem: ſi poſt mille quingentos amplius annos in Germaniam, peracto pedeſtri, vix trium menſium itinere, non peruenerit, nequaquam quaſi violentus & citatus fluuius, ſed potiùs quaſi leniſsimus Araris, aut ſi quis Arari tardiùs fluat, iure acceſsiſſe exiſtimandus eſt. At verò de mira omnium gentium ad amplexandum Euangelium acceleratione, ſimul & de expeditiſsima Apoſtolorum functione, non parum admiratur Dei Propheta, dum ſcribit: Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant, & ſicut columbæ ad feneſtras ſuas? An dicemus Germanos tanti beneficij fuiſſe exortes? Minimè gentium. Nam non ſolùm ex duodecim Domini diſcipulis D. Maternum, & forſan alios ad Germaniæ populos miſſos fuiſſe, ſed vt ex ſatis probabilibus argumentis colligit, quidam noſtri ſeculi vir vndiquaque doctiſsimus, ſtrenuiſsimus Chriſti miles, nec inani titulo Magiſter N. pater & dominus reuerédiſsimus, ipſum D. Thomam Apoſtolum ſalutari doctrina has primùm prouincias imbuiſſe. Nec noſtræ obſtat ſententiæ, quòd non pauci Principum cum maiore populi parte diu Euangelio reſiſtentes tam tardè ad cœnam magnam, ad quam pia Regis munificentia crebrò inuitabantur, intrauerint: vt vix multis plagis affecti eò compelli intrare potuerint, tam durę erant ceruicis. Quo loco obſeruare operę eſſet pretium, niſi feſtinantem me aliò raperet oratio, indicare paucis, (quod facilè mihi concedent, ſcio, qui ſuas & aliarum gentium percurrunt hiſtorias) quò quæq; regiones nimirum ad Chriſtum

S fuerant

Statim vbique ferè terrarum Chriſtus prædicatus.

Pſal. 147. a.
Iſa. 2. a.
Verbum Dei primùm ex Ieruſalé prodiit: quod ante hoc noſtrum ſeculum perueniſſe in Germaniam fatendum eſt, iuxta ſcripturas.

Iſai. 60. b.

Maternus Apoſtolorũ ætate & forſan etiam ipſe D. Tho. Apoſt. in Germaniam venêre.
VVilhel. Lindanus, Ruremundẽ Epiſcopus.

Quò tardiores fuêre quædã gentes olim ad Chriſtum, vel procliuiores ad antiquas hæreſes, eò promptiores hodie ad nouas ſectas.

fuerant tardiores, aut ad antiquas hæreses magè procliues, eò celeriùs à Catholica se communione, hac tempestate separâsse. Sed, his in aliud tempus reiectis, ad institutum redeo: exque Prophetica Apostolicaque doctrina asseuero, sanctum IESV CHRISTI Euangelium, citissimè & ipsorum Apostolorum tempore ipsos fines orbis terræ peruasisse, imò & insulas longè positas, atq; toto orbe, vt scribit ille, diuisas suo fulgore illustrâsse. Deinde non minùs liberè astruo, vt nunc Catholicos vbique inter homines aduersæ professionis (quam alij ineptè religionem vocant) conuersantes videre licet: ita olim & Apostolorum ætate in ipsa Germania, Christianos inter ipsos infideles, licet alios Apostolica fortitudine, alios Nicodemi aut Gamalielis cautione præditos, solicitè coram Deo inambulâsse. At quam fidem sunt professi? non aliam profectò (quod, opinor, etiam concedent aduersarij) quàm Orthodoxam, Catholicam & Apostolicam, atque communem illam, quam iam diximus electorum fidem. Quod si quis impiè negare vellet, ego firmissimo quodam ostendam axiomate: Nullum regnum, regionem, prouinciam, ciuitatem, oppidum, imò ne pagum quidem, aut villam ab infidelitate ad Christum conuersam esse vnquam, nisi à Catholicis. Si quis aliter sentit, ostendat oppositum aliquando contigisse, & vicerit. Eius rei magnum quoque argumentum esse potest, quòd nostro seculò aperto nobis nouo orbe, & eo quidem vastissimo, in quo iam sicut & in vlteriore India, tot hominum milia, ab exorto omnium schismatum parente Luthero, ad Christum quotidie vocantur. sed à quibus obsecro, an à VVirtenbergensibus? an à Geneuensibus? Minimè profectò, sed à solis religiosis viris: maximè autem ab ea, quam protestantium Ministri præ cæteris mortalibus acerbissimo odio prosequuntur, Iesuitarum familia. Quàm rectè autem id faciant Ministri, viderint ipsi: maximè cùm constet hoc hominum genus & vitæ integritate, simul & solida omne genus eruditione, vix vllis aliis hac tempestate esse secundum. Concedent forsan nobis primos Christianos in his regionibus vera sinceraque Euangelij doctrina imbutos fuisse: sed posteà in errores fuisse delapsos. At quo tempore, obsecro? Nam si ætate D. Hieronymi aut Augustini id factum fuisset, peruenisset profectò illorum, aut certè aliorum diligentia ad posteros? Non enim ille, cùm in Palestina Monachi vitam

Isai 49 a. Rom. 10. d.

Britannicas.

Prius vera fides, quàm perfidia, errores aut hæreses, disseminata est.

A quibus hodie nouus orbis & vlteriores Indi ad fidem vocantur.

Iesuitæ.

Germani, qui nõ leguntur ante F. Lutherum mutâsse religionẽ, probantur inde veram fidem tenuisse, & religionem deuotus hostis Hæreticus, eõ

vitam egiſſet, ignorauit Vigilantij, circa Sanctorum interceſsionem & reliquias in Gallia diſperſos errores: neque in Hiſpania Priſcilliani Abulæ Epiſcopi atque Hæretici, neq; eorum alteruter Pelagij Britanni venenum in orbem diffuſum, aut Donatiſtarum in Aphrica væſaniam. Neq; tunc vſquam in Chriſtiano orbe ignorabatur Photinus fuiſſe Pannonius, Neſtorius Conſtantinopolitanus, vt alios ſilentio iam implicem: tanta erat tunc temporis vigilantia, tanta ſolicitudo ſeruandi vnitatem vbiq; ſpiritus in vinculo pacis. Etſi Germania neque vndiquaque tunc temporis, neque multa poſt ſecula ſuaui Chriſti iugo collum ſummiſerat; exoriebantur nihilominus, haud dubito, tenella vbique Chriſtianorum germina. Quin & toto orbe inclyta Treuirorum vrbs, ob ingentem ſinceræ fidei feruorem celebrata fuit: adeò vt fortiſsimus ſanctæ noſtrę religionis propugnator D. Athanaſius, inualeſcente horrenda Arianorum tempeſtate, eò ſe refugij cauſa ex oriente ſubduxerit. Eam vrbem etiam inuiſere placuit D. Hieronymo: qui dubio procul, ſi quid hæreticę luis ſerpere in vicinis prouinciis intellexiſſet: illud ſcriptis ad poſteros tranſmiſiſſet: quippe qui vehementer ſibi plăcebat cum hæreticis manus conſerere, magna nimirum hæreticorũ peſtis, ac deuotus hoſtis. Certè ab eorum ætate, ad Gregorium Magnum videmus, Eccleſiam maximopere incubuiſſe, vt ſuperiorum temporum errores (cum paucis aliis, qui ab illorum fœtoribus exhalare cenſebantur) extingueret. Quibus ſeculis nihil de erroribus Germanorum vſquam auditum eſt: ſed illis, cum iis omnibus, qui ſalutis noſtræ aſſertorem Chriſtum Ieſum agnouêre, cõiunctiſsimi ſemper animi, mens vna, lingua vna, cor vnum. Atq; ea quidem animorum in fide conſenſio ſtabilis & inconcuſſa durauit, donec plenitudo gentium, vt ita loquar, Germanicarum armis Caroli Magni, piaq; eruditione beatiſsimi noſtri Bonifacij, Chiliani, Coluuibani, & aliorum tardo ſatis gradu, molliq; inceſsit, tempore ſanè Gregorij ſecũdi, ad Chriſtum proceſsêre, E quibus nulli magis duræ ceruicis leguntur fuiſſe, quàm Saxones, quippe qui Carolo 30. perpetuos annos, ſumma vi ſeſe oppoſuiſſe tradũtur; neq; priùs ſuccubuiſſe penitus, quàm in Colonias inter Belgas, aliaſq; gentes ab eo educerentur, quod apertè à nobis dici boni conſulent, ſat ſcio, omnes boni. cùm non hîc vanam hominum gloriam, ſed eorum certam ſalutem, Et vnicã Dei gloriam, Eccleſiæq; victoriam & pacem omni animi contentione

in Germania eſſet, nihil meminit de Germanorum erroribus. D. Hieron.

Quo tempore Germani ſimul omnes Chriſtũ profeſsi.

Alb. Crantzius Saxones ex eorũ numero, de quibus dixit Dominus, compelle eos intrare.

venemur. Quæro itaque quam fidem sunt isti iuniores Christiani professi? an non eam, quam vicinæ regiones ab initio prædicati Euangelij immotam semper tenuerunt? quamque & hæ cum vniuerso Catholico orbe summa conspiratione semper fouerunt, illustrârunt, propugnârunt? Negant? nondum ergo in hunc diem agnouêre, neque illi, neq; illorum posteri, quod absit, Christum. Hunc etenim nisi Catholica fide agnoscit nemo. Nam, quæ Catholica fides non est, iterum non minùs verè quàm audacter dico, non fides, sed perfidia, aut certè infidelitas est. Sed verè Catholicos à solis Catholicis initio factos fuisse, ex superiore constat axiomate: Verissimo quidem illo, tametsi paradoxum incertumque forsan illud homini, parum in Ecclesiæ rebus exercitato videbitur. Atqui neminem inter aduersarios opinor esse, qui id nobis, de Germanorum populis, nisi sit plus quàm meretricea fronte profligatissimus patriæ, & religionis hostis, negabit. Timendum tamen summopere est. Nam qui vniuersis Dei agminibus exprobrare, teterrimasque communis infamiæ notas inurere nihil veretur; qua ratione vni turmæ parcere, quæso, putandus est? Ludant alij in negotio suæ salutis: sit certè nobis, qui communem Ecclesiæ fidem sapienter amplectimur, fixum atque firmum, Germanos sana atque orthodoxa fide primùm institutos, atque informatos fuisse; quippe qui nullam aliam agnouêre, atque eam, quam Christiano orbe diffusa Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo eiusque spiritu, Christus à Patre traditam accepit. Primùm enim vbique gentium, vt iam monstratum est, seminatum est bonum triticum, sincera videlicet religio in dominico agro, in cordibus credētium: sed posteà accessit inimicus homo, iuxta id, quod prædixerat Dominus futurum, & superseminauit per suos Ministros zizania, errores, & hæreses in medio tritici.

[Margin: Qui tunc cum [cæ]teris veram fi[de]m, quam pro[fes]si fuerant, con[sta]ntissimè foue[ru]nt.]

[Margin: Quæ fides Ca[th]olica non est, [p]erfidia est.]

[Margin: Matth. 13. d.]

Cæterùm per zizania, triticum, per errores, superstitiones, abususué, docere veram religionem suffocari penitus, extinguique posse, (cùm id diuinis promissionibus, apertissimisque aliis sententiis hostiliter quidem, & ex diametro pugnet) quis non videt quàm sit impium? Et ne videar in re manifesta, & omnium oculis (qui oculos habēt, quibus videant) exposita, esse verbosior: aperta est illa Domini de vera sua doctrina, deque fabulis Pseudoprophetarum loquentis sententia. Sinite vtraque crescere vsque ad messem; cùm aliâs exposuerit ipse, messem cōsummationem esse seculi?

[Margin: Triticum fidei nunquam suffocari per errorū zizania posse.]

[Margin: Ibidem.]

seculi? Si ad messem igitur, inuidente clanculum Diabulo, crescent errorum Zizania; an non, propugnante Domino, à cuius manu rapere poterit nemo, crescet simul quoque diuini eloquij triticum? Atque illud ipsum est, quod ex Prophetæ verbis, atque illis quidem disertissimis monstrare volui: qui, quoniam de Ecclesiæ amplitudine, admirandaque omnium gentium ad eam acceleratione, eodem loco priùs testatus est, non me alienum ab instituto, neq; inutiliter fecisse puto, quòd de illis etiam diuinis duobus beneficiis breuem commiscuerim sermonem. Nunc autem de perpetuo continuoque veræ doctrinæ tenore; Deque eius perenni à parentibus in filios, nepotes, atq; posteros in omne æuum deriuatione; Deque æterno illo nouo fœdere, quod initurus tunc fuerat Dominus cum populo suo; Deque sancto Spiritu, quem illi Dominus daturus erat, quemque posteà Dei filius cum Ecclesia promiserat permansurum in æternum: Audi Euangelicum Prophetam, eodem quem iam citauimus loco, sacrosanctum illud ditissimum atque firmissimum fœdus, sine omni ænigmate recitantem his verbis: hoc est fœdus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quę posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amodò & vsque in sempiternum. Semen Prophetæ ibidem vocat Dominus eodem spiritu regeneratos Apostolos; Apostolorum autem semen Martyres & Confessores, in omne æuum illorum spiritu & autoritate potissimùm præditos. Nam statim subdit Propheta nunquam finiendam Ecclesiæ consolationem, prænuncians inextinguibile lumen Christum, quasi pro foribus adesse, dicens; Surge & illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Vbi pleno sequente capite totus incumbit, vt admirandum Ecclesiæ decus, gloriamque, quæ introeuntibus in eam, omnibus gentibus & terræ Principibus, ipsi contigit (quam & propter maximi splendoris excessum, non in donis spiritualibus tantùm, sed & in temporalibus quoque superbiam seculorum nominat, quam ipsi planè vidimus, nobis ob oculos palam locet.) Neque obscurè rursus semel atque iterum iugem Ecclesię continuationem prædicit. Et aperientur, inquit, portæ tuæ iugiter: die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gētium, & Reges earum adducantur.

De perpetuitate vnius fidei in Ecclesia ex diuina promissione.

Isai. 59. d.

Magnifica valde & apertissima Dei promissio.

Admirandum Ecclesię decus & gloria.

Ecclesiæ continuatio.

cantur. Et rursus: Ponam te in superbia seculorum, gaudium in generationem & generationem. Postremò & addit æternam illam lucem, quam post multos labores & ærumnas (quas ab impiis hîc nunquam non patitur, hæc vita) visura est Dei Ecclesia in terra viuentium. Non erit tibi amplius sol, ait, ad lucendum per diem: nec splendor lunæ illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet vltra sol tuus: & luna tua non minuetur: quia Dominus erit in lucem sempiternam, & complebuntur dies luctus tui. Ex quibus omnibus quid aliud colligi potest, quàm Deum indissolubili quodam & nouo coniugio suę sponsæ Ecclesię ita coniungi, vt ne morte quidem ab illa, quod in temporali matrimonio contingit, seiungi; multoque proinde minus in hac vita, vbi tot aduersis rerum vndis agitatur, ei libellũ repudij dare, aut nuncium remittere velit. Eant nunc homines isti, aut insani, aut prorsus impij & ementito zelo, tituloque verbi Dei, aduersùs Dei verbum vexilla tollant, iactitentque temeritate cæci, verbum illud de quo loquitur Propheta, per multas annorum cẽturias, ex ore seminis Apostolorum, & eorum, qui ipsis succeſsêre, receſsiſſe penitus, atque ideo Ecclesiam, si non interiiſſe, delituiſſe saltem ac minimè conspicuam. atque ideo se euocatos eſſe nescio, quo numime, quáue inaudita hactenus poteſtate armatos, vt Ecclesiam è tenebris in lucem reuocent; & dicant apertè potiùs, quod sentiunt, aut quod ex consecutione certiſsima, secundùm id quod docent, sentire debẽt, Ecclesiam non latuiſſe, sed interiiſſe. Si enim interiit incorrupta doctrina, interiiſſe simul & Ecclesiam manifestum est. At verò cùm neutrum vnquam fieri poſſe ex Dei verbo apertiſsimo iam monstrauimus, reliquum est, vt aliud aliquod suæ causæ patrocinium atque prætextum nobis machinentur. Hactenus de extraordinaria Ministrorum legatione, vel qua sponte sua, vel à ciuili Magistratu, vel à symmystis suis, nulla Episcopali dignitate præditis vocati, in cathedras Ecclesiarum irruunt, dictum sit satis.

Indissolubili cõiugij vinculo sibi Christus Ecclesiam sociauit.

Aduersus nouatores.

Nunc de legitima illa, quam ordinariam vocamus, Ecclesiarum Ministrorum vocatione, paucioribus agemus: quandoquidem ad illam aduersarij vix quicquam iuris, quo speciem aliquam veri prætexant, prætendere valent. Nec mirum. Non enim plus

iuris

iuris habent hæredes, quàm ij, quibus ſuccedunt: non plus legati quàm ij, à quibus legationem obeundam ſuſcipiunt; non vtique plus in Eccleſias poteſtatis exercere iam valent Miniſtri, quàm ij à quibus miſsi ſunt: ſint illi ſiue Magiſtratus, ſiue ipſorum Symmyſtæ: neque hi, plus quàm filius ille perditionis, qui hunc non ordinem, ſed ἀταξίαν & ordinis euerſionem primus in orbem inuexit. Quiſnam autem ille fuerat, non eſt difficile coniecturam capere; cùm ante annũ noſtræ ſalutis nati Seruatoris 1525. floruit vbique Eccleſia gubernata ab Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis æterna ipſa Dei verbi autoritate ſibi aſsignatis, ab hac Babylonica Miniſtrorum confuſione prorſus libera. Nam qui ante noſtrum ſeculum, ſua temeritate & ſuperbia, cruentis his & periculoſiſsimis Reip. Chriſtianę tumultibus, viam primi ſtrauêre, VViclephus ante alios in Anglia, VValdenſes deinde in Gallia, Huſſus poſtremò ſtudioſsimus VViclephi in Bohemia non videntur, Catholicam Miniſtrorum Eccleſiæ ordinationem ſublatam voluiſſe, aut nullam fuiſſe: ſed erroneè vno ore aſſeruiſſe Epiſcopum, aut Sacerdotem in peccato mortali exiſtentem, nequaquam ordinare, cõficere, baptizare aut conſecrare; quaſi Sacramenta vim ſuam magis haberent ab hominum bonitate, quàm à virtute Dei inſtituentis; atque eo errore vti in clerum odio bonum laicum aptum eſſe magis putârunt, ad miniſtranda Sacramenta, quàm malum Sacerdotem. Non tamen leguntur negâſſe, bonum Sacerdotem ad illud munus obeundum magis eſſe idoneum, quàm bonum laicum. Neque mitiores eorum quidam in ipſos Reges, quos in mortali crimine conſtitutos minimè Reges eſſe docuerunt, ſeipſos prodiderunt: qui tamen regiam alioqui dignitatem minimè oppugnauêre: ergo neque ſacerdotalem. Illud quod ſua quoq; praxi Huſsitæ in hunc vſque diem confirmant; quippe qui nullum Sacramentorum Miniſtrum apud ſe admittunt, niſi fuerit ab Epiſcopo Sacerdos ordinatus. Rectè quidem illi ex ſcripturis, & ex Catholica traditione intelligunt, Eccleſiam ſine Sacerdote conſiſtere non poſſe. Nam eruditè quidem eruditiſsimus Epiſcopus idem & beatiſsimus Martyr Cyprianus definit, quancunque Dei Eccleſiam eſſe, Sacerdotem cum populo. Et rectè pariter doctiſſimus Hieronymus, ſicut Eccleſia, inquit, non eſt, ſi non habeat Sacerdotē: ſic non potuit non eſſe Eccleſia, quæ Melchiſedech habuit

Quare Miniſtri nihil ſibi de ordinaria poteſtate vendicant.

Lutherus.

VViclephus, VValdenſes, Huſſus, longè aliter quã Lutherus ſenſêre.

Huſsitas non admittere Sacramentorum Miniſtros niſi Sacerdotes.

Cyprianus.

buit Dei Sacerdotem. Notanter obseruauit & beatissimus Cyrillus Ierosolymitanus Episcopus, in exponendis sacris scripturis exercitatissimus, tùm primum in sacris literis dictum esse conuocare in Ecclesiam, cùm Aaron à Domino in Pontificatu esset cōstitutus. Rectè igitur isti, Bohemorum, qui licet in aliis plerisque, sui anseris strepitu, licet infelicissimè strepentis oblectati, errātes Hæreticos potiùs quàm Ecclesiam audiunt, hîc ab Ecclesiæ præscriptis minimè, vti nec ipsorum olim vates, quoquo modo discedunt.

Iam tandem nobis videndum est, an Ecclesia ea in re non nixa sit autoritate verbi Dei: an potiùs ab Apostolorum ætate ad nouum Saxonum Apostolum tenebris immersa à luce, veritateq; Euangelica aberrârit? Et certè hoc primùm sit constitutum: si in tanti momenti negotio, re profectò longè maxima, tantoque atque perpetuo seculorum decursu, errâsset Ecclesia, non video,
1. Timoth. 3. d. qua ratione posit dici, iuxta Apostoli sententiam, columna & firmamentum veritatis: qua ratione dicatur Dominus permāsurus,
Matth. vlt. d. cùm ea ab initio, ad seculi vsque cousumationem: qua denique
Ioan. 14. b. ratione Spiritus ille veritatis induxerit eam in omnem veritatem, & manserit itidem cum ea, vt Dominus veritas ipsa receperat, se effecturum in æternum. Verùm, cùm hæc omnia piis auribus sint horrenda, vtpote quæ cum Dei verbo tam manifestè, cum vniuerso Christiano orbe omni tempore tam procaciter atque insolenter bellum gerunt, fateamur magnum hunc Veneris Sacerdotem, qui tanto impetu insurrexit in sacerdotium Christi, sua potiùs libidine, superbia & odio occęcatum errasse, inque reprobum sensum, iusto Dei iudicio, datum esse. Eum quippe cum vniuersa Dei Ecclesia hac in re bellum hostiliter suscepisse, nullo negotio planum faciemus: si priùs ordinem eorum, quos Deus posuit, vt suam Ecclesiam regerent, ex scripturis breuiter monstremus.

Luther vniuersę Dei Ecclesiæ hîc se opposuit.

Qui infirma igitur mundi elegit, vt fortia confundat, vt nemo in carne, sed in ipso glorietur, Ecclesiam suam in omnibus gentibus erecturus, nequaquam huius seculi Sapientes, non Diuites, non Potentes, non è Romano senatu quenquam, non Principes aut Reges sibi in huius operis architectos, aliosué operarios delegit: sed homines indoctos, plebeios, ac numero quidem paucos;

1. Cor. 1. d. Infirma mundi elegit Deus vt fortia confunderet.

per quos vniuersum orbem sibi subiici constituit; quod & felicissimè suo tempore factum curauit, vt opus diuinæ palam non humanę virtutis esse cognosceretur. Et mittens primùm 72. discipulos, vt bini præcederent faciem suam in omnem ciuitatem & locum, quò erat ipse venturus: haudquaquam inermes eos tunc, aut solo verbo, sed magna prꝫterea virtute munitos esse volebat. Ecce dedi vobis, inquit, potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Ita iudicauit diuina sapientia necessarium fuisse initio suis discipulis, vt legationem suam, magno ipsius sigillo, in signis & virtutibus firmatam, ostenderent; Vti priùs per Mósen & Aaronem factum fuisse monstratum est. Sic conuocatis pręcipuis ex omnibus duodecim, quos Apostolos appellari voluit, potestatem dedit curandi omnem infirmitatem & languorem, & vt Dæmonia eiicerent: satis inde præmuniens fidelem populum, se hos, atque illos solos (vti olim initio legis datæ) qui iis doctrina & autoritate erant successuri, suæ Ecclesiæ Rectores & Pastores constituisse. alios autem, quantumcunque intonarent, hæc dicit Dominus, vtpote qui suo spiritu, hac sola ratione, inflati esse dignoscerentur, minimè esse audiendos. Quanti autem fecerit, quoque in loco haberi voluit Dominus à piis suam, quam constituit semel in Apostolis autoritatem, hinc patet; primùm quòd vas electionis Paulus, quamuis glorìatur se, neq: ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum & Deum Patrem Apostolum fuisse, ad Apostolos tamen sacra publicè facientes Domino, & ieiunantes missus est, qui cum Barnaba, tametsi à Domino ipso priùs factus Apostolus, ab eis, monente Spiritu sancto, accepit manus impositionem, & legitimam in Ecclesia autoritatem. Deinde quòd is, & à Deo vocatus, & ab Apostolis ordinatus, quique de sua doctrina nihil dubitauit, iudicauit tamen necessarium, ne in vanum curreret, aut cucurrisset, de ea cum Apostolis (qui nondum eum ita spiritu illuminatum intellexerant) conferre. Cuius rei gratia rursus post annos 14. testatur se in Ierusalem ad Apostolos ascendisse. Quibus duobus locis, tametsi nullum aliud testimonium in sacris literis extaret, an non manifestum euadit, neminem pastorale munus in Ecclesia posse obire, præter eum, cuius potestas & doctrina probata sit Ecclesiæ? Ecclesiam intelligo hîc à præcipuis Ecclesiæ mem-

Discipuli non missi à Christo inermes. Luc. 10. c.

Deus magno suo sigillo in virtute signorũ suos discipulos & Apostolos communiuit. Matth. 16. a.

Paulus licet à Christo vocatus primùm, mittitur deinde ad Episcopos ordinandus. Actor. 13. a.

Post hæc omnia Paulus necessarium duxit, vt Euangeliũ, quod predicauerat, cõferret cum Apostolis. Galat. 2. a.

membris, Episcopis nimirum, qui Apostolis legitima autoritate succedunt.

Etenim penes solos Episcopos ius ordinandi Presbyteros & Diaconos, siue Presbyteros in Episcopos consecrandi (vt alia Episcopalia munia hîc taceam) nisi qui apertam vim inferat scripturis, simul & vniuersę Dei Ecclesiæ, negabit nemo. Hi sunt enim filij, de quibus olim cecinit regius Propheta, Ecclesiã sibi ipsi pro Apostolis, interprete D. Augustino, pariturã, eam ita compellans: Pro Patribus tuis, inquit, nati sunt tibi filij: constitues eos Principes super omnem terram. Neque eos Principes mireris dici, quos posuit Spiritus sanctus, vt regant Ecclesiam, quam Christus acquisiuit sanguine suo: Est enim omnium, consentiente scriptorum testimonio, sicut hierarchia cœlestis, ita & hierarchia Ecclesiastica. Hierarchia autem Latinis non simpliciter Principatus, sed sacer Principatus est: vtpote qui à Deo ipso in terris erectus, stabilitus, & confirmatus est. Atque de eo quoque rectè dici potest, Nimis confortatus est principatus eorum. Nam si aduersùs Ecclesiam portæ inferi non præualebunt: aduersùs hunc sacrum principatum, per quem maximè consistit, floret, confortatur ac conseruatur Ecclesia, præualere nequaquam poterunt. Audisti iam quibus gradibus in hunc principatum assumptus est Apostolus; quantaque cura cauerat ipse, ne existimaretur ab hoc principatu aliqua ratione esse alienus. Quod Dei iussu fecit & docuit, idem iis, quos Episcopos fecerat ipse, faciendum & docendum pręcepit: vt in diuinis illis maximè epistolis, quas ad Episcopos Timotheum & Titum scripserat, perspicuum est; è quibus nos iam ea solùm, quæ ad Episcoporum Presbyterorumque ordinationem spectant, hoc loco afferemus. Timotheum itaque semel atq; iterum admonet acceptæ gratiæ, & gratuiti Dei beneficij, quod ipsi collatum erat, cùm constitueretur à se Episcopus: adhortãs ne illam negligat, sed resuscitet potiùs abiiciẽs noxium timorem atq; induens spiritum virtutis, siue fortitudinis, dilectionis & sobrietatis. Sed præstat, Apostolum sua verba suauissimè resonantẽ audire: qui priore quidem loco ita scribit: Noli negligere gratiam quę in te est, quę data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterij.

Altero autem commendans plurimum illius fidem, vt minimè fictam, de qua testatur se certum esse, sic habet: Propter quam causam

[Margin notes: Psal. 44. d. — Hierarchia sacer Principatus est duplex. — Hierarchia Ecclesiastica quàm potens. — Psal. 138. c. — Matth. 16. c. — De D. Paulo. — 1. Timoth. 4. d. — 2. Timoth. 1. a.]

causam admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum: Audis vtrobique gratiam dari, atque id per impositionem manuum, non quorumcunque, non populi, non senatus, non Principis, sed Apostoli & aliorum Episcoporũ; aliorum inquam Episcoporum. Id enim τὸ πρεσβυτήριον cùm ex vi vocis, tùm ex mente Apostoli, ab Ecclesia re ipsa & praxi magis nobis quàm verbis explicata denotat. Scimus enim nostrũ interpretem minimè illud eo loco Latinum reddidisse: sed ad Latinos vltrò transmisisse: vt nonnulla alia & Græca & Hebræa, maioris, opinor, insinuandæ sublimitatis causa: alios rursus vertisse autoritate sacerdotij; nec non & alios per illud intellexisse sacerdotalem dignitatem seu Episcopatum. Sed probatissimus Ecclesię vsus isque perpetuus, qui verissimus verbi Dei interpres est, vocem in propria sua significatione debere sumi, pro Presbyterorum, seu Episcoporum cœtu apertissimè declarat. Perpetuò enim ab Apostolorum ætate legitur definitum, & vsu firmatum tàm apud Grę cos quàm apud Latinos, vt Episcopus à pluribus Episcopis ordinetur. Id quod docet Apostolorum Canonum primus; & magni illius Concilij Niceni (à cuius autoritate cętera omnia maximæ semper autoritatis, quæ ante mille annos de summis fidei mysteriis quicquam definiuére, dependent) Canon secundus. Huius sententiam si quis reiicere volet, eadem temeritate & horrendos errores illos ab eo quantumuis rectè damnatos, ab inferis poterit resuscitare. Sed scripturas audire cupiunt. Audiant igitur illam Actor. 13. qua probauimus Apostolum à tribus Episcopis (quos ibidem Prophetas vocat, vti & Doctores ibidem Presbyteros) vbi nominatim tres recensentur, qui Paulo & Barnabæ, monente Spiritu sancto, manus imposuêre. Audiant & hîc Timotheum ordinatum per impositionem manuum Presbyterij: quo loco non nos soli, aut alij doctiores nostri seculi, sed & permagnæ autoritatis Episcopi Theodoritus & Theophylactus in hunc locum per πρεσβυτήριον Presbyterorum cœtum intelligi declarant. Et rursus per Presbyteros, Episcopos; οὐ γὰρ δὴ πρεσβύτεροι ἐπίσκοπον ἐχειροτόνουν, ait & rectè quidem Theophilactus: Non enim Presbyteri, inquit, Episcopum ordinabant. D. autem Hieronymo cum multis iam communis est sententia, Presbyterum & Episcopum initio idem significâsse. Attamen si quis nunc eos

Impositio manuum Presbyterij quid?

Per Presbyteris quid intellexêre veteres.

Qui nunc nobis Episcopū & Presbyterum nihil interesse contendit, Aërij hæresi committitur.

autoritate non ita discernat, vt fateatur Presbyterum non posse ea omnia in Ecclesia, quæ Episcopus: in Aërij hæresim (qui cùm Arianus esset, hoc primus inter alia quædam, impiè negauit) delabi conuincitur. Theodoritus autem gratiam hoc loco interpretatur, doctrinam & gratiam spiritus, quam acceperat Timotheus per Apostoli ordinationem. De Presbyterio autem & Presbyteris ita scribit: Presbyterium hic vocat eos, qui Apostolicam gratiam acceperunt. Ita enim eos, inquit, qui honorati erant in Israël diuina scriptura, Presbyteros appellat. hanc itaque Apostolicam gratiam Episcopos, Presbyteros & Diaconos ordinandi, Apostoli cum solis Episcopis communicauerunt; atque quam vtiliter docuit spiritus Dei, vt Episcopus non nisi à pluribus Episcopis ordinaretur, docet eleganter beatissimus Christi Martyr, Pontifex Anacletus. Domino, inquit, instituente iubetur, ne aliquid cōtra fidem Ecclesiæ, vnius tyrannica moliretur autoritas, & regula vel fides confunderetur credentium. Ordinauerunt Apostoli septem Diaconos; ordinauerunt Episcopi, ab ipsis Apostolis priùs dubio procul ordinati, Paulum & Banabam; ordinauit Paulus cum impositione manuum aliorum, Timotheum Episcopum: ordinauit & Titum; & quales ipsi pariter & alios ordinarent, per singulas ciuitates Episcopos, accurata satis diligentia ipsis ante oculos ponit. An in his ordinationibus meminit expressum Dei verbum (quod futiliter sæpe & ineptissimè citāt aduersarij) alicuius populi, Senatus, Magistratus, Principis, Regis, aut seculi Monarchæ, qui ordinandis manus imponant; atq; ea demùm ratione constituant Ecclesię Episcopos & Presbyteros? Minimè gentium. Sed Episcopo Timotheo, vt illi, cui hanc prouinciam demandauerat, apertissimè scribit. Nemini manus citò imposueris (ô Timothee) neq; communicaueris peccatis alienis, nimirum inidoneos ordinando. hoc Episcopi munus esse docet, non Senatus, neq; Principis: multò ergo minus populi. Et ad Titum Episcopum scribit, huius rei gratia reliqui te cretæ, vt constituas per ciuitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi; hoc est per singulas ciuitates Episcopos: vt in hunc locum perquàm eruditè obseruat D. Theodoritus; atque id ex consequētibus. Oportet enim Episcopum sine crimine esse, &c. hinc quoque manifestum est, inquit, quòd Presbyteros nominabat Episcopos. Cùm enim dixisset, vt constituas per ciuitates

Quare Episcopꝰ non creatur, nisi per plures & Episcopos.

Actor. 6. b.

Quid sensit Apostolus de ordinatione Presbyterorum & Episcoporum.

Tit. 1. b.

Non constituit laicos ordinatores.

1. Timoth. 5. d.

Tit. 1. b.

Probatur hoc loco Presbyterum significare Episcopum.

tates

tates Presbyteros, subiunxit: Oportet enim Episcopum esse sine crimine.In vnaquaque enim ciuitate non Episcopos multos, sed Presbyteros esse mos est. Hæc ille. qui & alio loco Presbyterum hic non ætatis vt aliâs nonnunquam, sed honoris & sublimis in Ecclesia officij esse nomen: putà eius viri, cui sunt concreditæ à Domino animę, quas tanto redemit pretio, declarat. Etenim cùm Apostolus scribat ad eundem suum Timotheum, inquiens: Seniorem seu Presbyterum ne increpaueris, sed obsecra vt Patrem, Nō dicit hîc, ait ille, Sacerdotem: sed eum, qui consenuit: Hoc enim significant ea, quæ sequuntur. (Iuuenes vt fratres, anus vt matres, iuuenculas vt sorores in omni castitate) Quoniam enim necesse est, ait, eum Presbyterum, cui sunt creditæ animæ, etiam cum iuuenibus mulieribus loqui, necessariò adiecit illud: In omni castitate: vt cum corpore animam quoque habeat continentem: & nec per oculos aut aures vllum nocumentū suscipiat. Habes igitur in sacris literis Presbyteros ætate, habes & officio. Neque omnes, qui officij causa hoc nomine digni habiti sunt: eodem semper iure & iisdem muneribus sunt vsi. Nam lege alia erat functio Presbyterorum seu Seniorum, quibuscum in vetere populo consilia sua communicauit Moses: vel quos posteà in suū synodrion adhibuerant Iudæi: alia eorum, quos instituerunt ad regendam Ecclesiam Apostoli. Ad illos autem nihil, quod sacerdotalis muneris erat, spectabat. siquidem illud, quicquid fuerat, Leuiticæ tribus, Aronisq; & eius familiæ proprium erat. Ad hos autem, siue Episcopos, siue inferiores Presbyteros, siue Sacerdotes intelligas: altiùs animum oculosque attollere iubet Apostolus, Dum ad Hebræos suos his verbis scribit: Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis. & rationem statim voluntariæ huius sanctæque subiectionis subnectit, dicens: Ipsi enim peruigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris. An non hi sunt Præpositi, quos D. Lucas narrat, eundem Apostolū magno zelo, cùm ab eis discederet, non vltrà in mortali carne videndus, his verbis compellâsse: Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus S. posuit regere Ecclesiā Dei, quā acquisiuit sanguine suo. An hos tādem vocabimus, quos Sacramentariorum Ministri, quibusdā in his locis Presbyteros, seu Seniores & Diaconos vocāt: homines quos nescio quibus officiis circa notādas plebeiorū errata, & ad se deferēda ex suis mediocris

1. Timoth. 1. e.

Presbyter nonnunquam in sacris ætatis nomē est.

Presbyter, vt officij nomen est, variè sumitur in sacris.

Hebr. 13. c.

Actor. 20. f.

fortunę ciuibus pręficiunt: eos opinor, quos Euangelici Coryceos (Außstecher) & clauicularios delatores sibi constituũt. Proh dolor: ô pietas. ô huccine rerum belli isti reformatores Apostolicam dignitatem, atque adeò sacrosanctũ Ecclesiasticæ Hierarchiæ (quæ vniuersos huius mundi sapientes atque Principes sub suaue Christi iugum suauiter traxit, & per tot secula prudenter continuit) Principatum ad eiusmodi ignaros opifices institoresque, vt mitissimè loquar, traduxerunt? Quò me vertam? Imò quò se vertet quisquis Iesu Christi amore tangitur, eius promissis nititur, aut domus eius Ecclesiæ decore afficitur? Siccine viros illos, de quibus loquitur Deus Pater ad vnigenitum filium, constitues eos Principes super omnem terram, credamus aut euanuisse, aut in populi fęcem, atque id Dei Spiritu omnia in pristinum statum redintegrante (vt plenis buccis iactitant à se fieri Aduersarij) esse iam mutatos? ita vt Episcopos habeamus nullos, Diaconos & Presbyteros breuiter nescio in quam nouam vilemque hominum retento tantùm nomine, conditionẽ commutatos. Atque omni admiratione maius est, quos hi, qui quasi Episcoporum & Presbyterorum nomine, istam in se prouinciam suscipiunt, neq; Episcopi, neque Presbyteri dici volunt: quo vno argumento satis superque elucescit, quàm parùm verbi Dei normam sequantur, quã parùm primitiuæ Ecclesiæ vestigiis insistant, ad cuius normam se omnia velle redigere, falsò se iactitare satis apertè declarant. Nam cùm à nominibus, quibus placuit Spiritui sancto & Apostolis, Ecclesiæ Proceres insignire, penes quos volebant illi religionis summã esse, tantopere abhorreant: quis communi sensu præditus, nisi sit in reprobum sensum datus, non pariter à veritate muneris, doctrinæ & pietatis magis eos abhorrere iure dicat. Etenim si Episcoporum Presbyterorumque nominibus, quasi vestibus quibusdam sese ornarent, cùm sua interea docerent pro Dei verbo commenta, & errores: ita demum lupi in vestimentis ouium ad nos venirent & simpliciores, minore cum salutis periculo ad tempus fallerent. Verùm enimuerò cùm lupi minimè in alias figuras transformati, sed tetris suis luminibus horridi, suis ipsorum pellibus squallentes, dentibusque minaces, ouium arietumuè gregis ductorum nomine, ad Christi ouiculas accedunt, qua quæso ratione dici possunt ab illis seduci, & non potius sponte sua, vt maius

Quò produxerunt tandem Ministri Ecclesiasticam Hierarchiã.

Non venire Ministros in vestimẽtis ouium, sed vt planè lupos, cum à Presbyteri, Sacerdotis & Episcopi nominibus abhorreant.

ius iudicium incurrant, abduci gaudētes? Cæterùm respondebūt, sat scio, Ministri & Superintendentes, se longè esse alios; illos scilicet, de quibus scribit D. Paulus: Et ipse (Christus) dedit quosdam quidē Apostolos quosdā autē Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autē Pastores & Doctores ad consummationē Sanctorū &c. atq; ideò haudquaquā lupos, sed veros piosq; Dominici gregis Pastores atque Rectores. Et certè, vt felicissimè cum illis ageretur, si essent, quod dici volunt. Ita tantùm profectò abest, vt nos illis eam gloriam inuideremus, vt cuperemus (Deus testis) quàm maximè. At verò persuasissimum quidem nobis est, neque vana opinione, sed Dei verbi autoritate adductis, eos tales esse non posse: nisi primùm se legitimè vocatos à Deo demonstrent: atque id vel priore illo modo; de quo initio disseruimus, extraordinaria scilicet vocatione à Deo ipso immediata; vel hac saltem posteriore, mediata nimirum, quæ fit per homines à Deo ad hoc in Ecclesia institutos; cuiusmodi solos Episcopos esse, ex sacris literis, & perpetua Ecclesiæ traditione rectè asseueramus. In quo ordine nemo Presbyterum nisi ab Episcopo, neque Episcopum nisi à pluribus Episcopis fuerit ordinatus, se esse existimet, Deinde nisi integrum scripturarum canonem nobiscum probent. Postremò & in interpretandis scripturis ipsis, non suum sensum, genium & ingenium se sequi nobis declarent; sed mentem & spiritum Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, nòn se Pastores, tametsi sunt legitima prius autoritate præditi, sed lupos rapaces non parcentes gregi se produnt. Quid multa? si vtrobique hîc errent: si in Principem pastorum ipsum, negatam sibi potestatem arripientes, insurgant: sique in ouile ouium aliundè quàm, per ostium qui Christus est intrent: si deniq; simul & congregatum gregē dispergant, lacerēt, mactent, viderint ipsi, quo se loco iam constituêre.

Ephes. 4. b.

Ministri se produnt verè lupos si legitimam suā ordinationem ostendere nequeant.

Quod ad vsurpatum à se Ecclesiæ clauum & pastoralem functionem attinet, aperuimus iam viam, qua se examinēt; faculam verbi Dei accendimus, qua videant, in quibus hactenus delituêre tenebris, nisi oculos sibi ipsis obdurationis callo obducti, vltrò claudant, dicantq;, ipsi luci, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, scientiam viarum tuarum nolumus.

FINIS.

Cùm liber iste non modò nihil contineat, quod Catholicæ doctrinæ repugnet: sed pleraq; de subditorum erga suos Principes officio; item de Ministrorum doctrina & vocatione doctissimè explicet, dignissimum iudico, qui prelo committatur. Ita testor ego

GEORGIVS LAVTHERIVS.

Nihil habet tractatus iste sanctæ Romanæ Ecclesiæ contrarium, aut Reipublicæ Christianæ offensiuum; sed multis de causis dignus est, qui typis mandetur, & ad multorum manus perueniat. Ita testor

Ego CASPAR FRANCVS, D. Collegij Theologici pro tempore Decanus Ingolstadij.

SYNOPSIS PRÆCIPVARVM RERVM SVPERIORIS LIBRI, EO ORDINE, QVO sunt in ipso digestæ.

Dam-

dentia